





3 1761 07994763 6

Digitized by the Internet Archive  
in 2010 with funding from  
University of Toronto









324

5

POETAE  
LATINI  
MINORES,

EX EDITIONE  
PETRI BURMANNI  
FIDELITER EXPRESSI.

GLASGUAE,  
IN AEDIBUS ACADEMICIS  
EXCUDEBANT ROBERTUS ET ANDREAS FOVLIS  
M. DCC. LII.



PA

6121

A4

1752



GRATII FALISCI  
*(Zuidhollandische Oude)*  
CYNEGETICON.

**D**ONA cano divóm, laetas venantibus artis,  
Auspicio, Diana, tuo; prius omnis in armis  
Spes fuit, et nuda silvas virtute movebant  
Inconsulti homines, vitæque erat error in omni;  
Post alia propiore via, meliusque profecti,  
Te sociam, Ratio, rebus sumpsère gerendis.  
Hinc omne auxilium vitæ, rectusque reluxit  
Ordo: et contiguas didicere ex artibus artes  
Proferere; hinc demens cecidit violentia retro.  
Sed primum auspiciam Deus artibus, altaque circum 10  
Firmamenta dedit; tum partes quisque secutus  
Exegere suas, tetigitque industria finem.  
Tu trepidam bello vitam, Diana, ferino,  
Qua primam quaerebat opem, dignata repertis  
Protegere auxiliis, orbemque hac solvere noxa.  
Adscivere tuo comites sub nomine divæ  
Centum omnes nemorum, centum de fontibus, omnes  
Naiades, et Latii cultor qui Faunus amoeni,  
Maenaliusque puer, domitrixque Idaea leonum  
Mater, et inculto Silvanus termitæ gaudens. 20  
His ego præsidibus nostram defendere sortem  
Contra mille feras, et non sine carmine; nifus  
Carmine, et arma dabo venanti, et persequar artes  
Armorum; cassesque, plagarumque ordiar astus.  
Prima jubent tenui nascentem jungere filo  
Limbam, et quadruplici tormento adstringere limbos,  
Illa operum patiens, illa usus linea longi.  
Tunc ipsum medio cassem qui nascitur ore,  
Per fenos circum usque sinus laqueabis, ut omnem

Concipiat tergo, si quisquam est plurimus, hostem. 30  
 Et bis vicenos spatium praetendere passus  
 Rete velim, plenisque decem consurgere nodis.  
 Ingrati majora sinus impendia fument.  
 Optima Cinyphiae, ne quid contere, paludes  
 Lina dabunt; bonus Acoliae de valle Sibyllae  
 Foetus, et aprico Tuscorum stupea campo  
 Messis, contiguum sorbens de flumine rorem,  
 Qua cultor Latii per opaca silentia Thybris  
 Labitur, inque sinus magno venit ore marinos.  
 At contra nostris imbellia lina Faliscis: 40  
 Hispanaeque alio spectantur Saetabis usu.  
 Vix operata suo sacra ad Bubastia lino  
 Velatur sonipes aestivali turba Canopi.  
 Ipse in materia damnosus candor inertis  
 Ostendit longe fraudem, atque exterruit hostes.  
 At pauper rigui custos Alabandicus horti  
 Cannabias nutrit silvas, quam commoda nostro  
 Armamenta operi: gravis est tutela sed illis,  
 Tu licet Haemonios includas sentibus urfos.  
 Tantum ne subeat vitiorum pessimus humor, 50  
 Ante cave: non est humentibus usus in armis;  
 Nulla fides. ergo, seu pressa flumina valle  
 Inter opus, crassaeque malum fecere paludes:  
 Sive improvisus coelo perfuderit imber:  
 Illa vel ad flatus Helices oppande serena,  
 Vel caligineo laxanda reposito fumo.  
 Idcirco et primas linorum tangere messes  
 Ante vetant, quam maturis accenderit annum  
 Ignibus, et claro Plejas se promiserit ortu.  
 Imbiberit, tanto despondet longius usu, 60  
 Magnum opus, et tangi, nisi cura vincitur, impar.  
 Nonne vides, veterum quos prodit fabula rerum,  
 Semideos? illi aggeribus tentare superbis  
 Ire freta; et matres ausi tractare deorum,

CYNEGETICON.

Quam magna mercede meo sine munere silvas  
 Impulerint. flet adhuc et porro flebit Adonim  
 Vista Venus, ceciditque suis Ancaeus in arvis,  
 Ut praedexter erat geminisque securibus ingens.  
 Ipse deus, cultorque feri Tyrinthia orbis,  
 Quem mare, quem tellus, quem praeceps janua Ditis, 70  
 Omnia tentantem, qua laus erat obvia, passi,  
 Hinc decus et famae primum patravit honorem.  
 Exige, si qua meis respondet ab artibus ergo  
 Gratia, quae vires fallat collata ferinas.

Sunt, quibus immundo decerptae vulture plumae.  
 Instrumentum operis fuit, et non parva facultas.  
 Tantum inter nivei jungantur vellera cygni:  
 Et satis armorum est. haec clara luce coruscant  
 Terribiles species: ab vulture dirus avaro  
 Turbat odor silvas, meliusque alterna valet res. 80  
 Sed quam clara tuis et pinguis pluma sub armis,  
 Tam mollis tactu, et non sit creberrima nexu,  
 Ne repressa suis properantem linea pinnis  
 Implicet, atque ipso mendosa coarguat usu.  
 Hic magis in cervos valuit metus. ast ubi lentae  
 Interdum Libyco fucantur sandyce pinnae,  
 Lineaque exstructis lucent anconibus arma,  
 Rarum, si qua metus eludat bellua falsos.  
 Nam fuit et laqueis aliquis curracibus usus:  
 Cervino jussere magis contexere nervo; 90  
 Fraus teget insidias, habitu mentita ferino.  
 Quid, qui dentatas iligno robore clausit  
 Venator pedicas? quum dissimulantibus armis  
 Saepe habet imprudens alieni lucra laboris.  
 O felix, tantis quem primum industria rebus  
 Prodidit auctorem! Deus ille, an proxima Divos  
 Mens fuit, in caecas aciem quae magna tenebras  
 Egit, et ignarum perfudit lumine vulgus?  
 Dic age Pierio, (fas est) Diana, ministro.

GRATII FALISCI

Arcadium stat fama senem, quem Maenalus altor 100  
 Et Lacedaemoniae primum vidistis Amyclae,  
 Per non adfuetas metantem retia valles,  
 Dercylon. haud illo quisquam se justior egit,  
 Aut fuit in terris divom observantior alter.  
 Ergo illum primis nemorum Dea finxit in annis,  
 Auctoremque operi dignata inscribere magno,  
 Jussit adire suas et pandere gentibus artes.

Ille etiam valido primus venabula dente  
 Induit: et proni moderatus vulneris iram  
 Omne moris excepit onus. tum stricta verutis 110  
 Dentibus, et geminas subiçre hastilia furcas.

Et quidam totos clausurunt ensibus orbes,  
 Ne cessaret iners in vulnere massa ferino.  
 Blandimenta vagae fugies novitatis; ibidem  
 Exiguo nimiove nocent. sed lubricus errat  
 Mos, et ab expertis festinant usibus omnes.

Quid, Macetum immensos libeat si dicere contos,  
 Quam longa exigui spicant hastilia dentes?  
 Aut contra ut tenero destrectas cortice virgas  
 Praegravat ingenti pernix Lucania cultro? 120

Omnia tela modi melius finxere salubris.  
 Quocirca et jaculis habilem perpendimus usum:  
 Neu leve vulnus eat, neu sit brevis impetus illi.

Ipsa arcu Lyciaque suas Diana pharetra  
 Armavit comites; ne tela relinquitte Divae,  
 Magnum opus et volucres quondam fecere sagittae.

Disce agedum et validis delectum hastilibus omnem.

Plurima Threïcii nutritur vallibus Hebri  
 Cornus, et umbrosae Vençris per litora myrtus,  
 Taxique, pinusque, Altinateque genistae, 130  
 Et magis incomptus operae Lutofer agrestis  
 Termes, ab Eois descendet virga Sabaeis,  
 Mater odorati multum pulcherrima thuris.  
 Illa suos usus intraçtatumque decorem

(Sic nemorum jussere Deae) natalibus haurit  
 Arbitriis. at enim multo sunt ficta labore  
 Cetera, quae silvis errant hastilia nostris.  
 Numquam sponte sua procerus ad aëra termes  
 Exiit, inque ipsa curvantur stirpe genistae.  
 Ergo age, luxuriam primo foetusque nocentes  
 Detrahe : frondosas gravat indulgentia silvas.  
 Post ubi proceris generosa stirpibus arbor  
 Se dederit, teretesque ferent ad sidera virgae,  
 Stringe notas circum, et gemmantes exigue versus.  
 His, si quis vitium nociturus sufficit humor,  
 Ulceribus fluet, et venas durabit inertes.  
 In quinos sublata pedes hastilia plenâ  
 Caede manu, dum pomiferis advertitur annus  
 Frondibus, et tepidos autumnus continet imbres.

140

Sed cur exiguis tantos in partibus orbes  
 Lustramus? prima illa canum, non ulla per artes  
 Cura prior, sive indomitos vehementior hostes  
 Nudo Marte premas, seu bellum ex arte ministros.  
 Mille canum patriae, ductique ab origine mores  
 Cuique sua. magna indocilis dat proelia Medus,  
 Magnaque diversos extollit gloria Celtas.  
 Arma negant contra, Martemque odere Geloni,  
 Sed natura sagax: Perses in utroque paratus.  
 Sunt qui Seras alant, genus intractabilis irae.  
 At contra faciles, magnique Lycaones armis.  
 Sed non Hyrcanae satis est vehementia genti  
 Tanta: suis petiere ultro fera semina silvis.  
 Dat Venus adcessus, et blando foedere jungit.  
 Tunc et mansuetis tuto ferus errat adulter  
 In stabulis, ultroque gravis succedere Tigrim  
 Ausa canis, majore tulit de sanguine foetum.  
 Sed praeceps virtus ipsa venabitur aula.  
 Ille tibi et pecudum multo cum sanguine crescit:  
 Pasce tamen, quaecumque domi sibi crimina fecit,

150

160

Excitiet silva magnus pugnator adeptus. 170  
 At fugit adversos idem quos reperit hostes  
 UMBER, quanta fides, utinam, et sollertia naris,  
 Tanta foret virtus, et tantum vellet in armis!  
 Quid freta si Morinùm, dubio refluentia ponto,  
 Veneris, atque ipsos libeat penetrare Britannos?  
 O quanta est merces, et quantum impendia supra!  
 Si non ad speciem mentiturosque decores  
 Protinus; (haec una est catulis iactura Britannis.)  
 At magnum cum venit opus, promendaque virtus, 180  
 Et vocat extremo praecipuus discrimine Mavors,  
 Non tunc egregios tantum admirere Molossos,  
 Comparat his versuta suas Athamania fraudes,  
 Acyrusque, Pheraeque, et clandestinus Acarnan.  
 Sicut Acarnanes subierunt proelia furto:  
 Sic canis illa suos taciturna supervenit hostes.  
 At clangore citat, quos nondum conspicit, apros  
 Aetola quaecumque canis de stirpe, (malignum  
 Officium) sive illa metus convicia rupit,  
 Seu frustra nimius properat furor. et tamen illud  
 Ne vanum totas genus adspernere per artes, 190  
 Mirum quam celeres, et quantum nare merentur:  
 Tum non est victi cui concessere labori.  
 Idcirco variis miscebo gentibus usum.  
 Quondam inconsultis mater dabit Umbrica Gallis  
 Sensum agilem: traxere animos de patre Gelonae  
 Hyrcano, et vanae tantum Calydonia linguae  
 Exhibit vitium patre emendata Molosso.  
 Scilicet ex omni florem virtute capessunt,  
 Et sequitur natura favens. at te leve si qua  
 Tangit opus, pavidosque juvat compellere dorcas, 200  
 Aut versuta sequi leporis vestigia parvi:  
 Petronios (scit fama) canes, volucresque Sugambros,  
 Et pictam macula Vertraham delige falsa.  
 Ocius adfectu mentis pinnaque cucurrit,

Sed premit inventas, non inventura latentes  
 Illa feras; quae Petroniis bene gloria constat.  
 Quod si maturo pressantes gaudia lusu  
 Dissimulare feras, tacitique adcedere possent:  
 Illis omne decus, quod nunc, Metagontes, habetis,  
 Constaret silvis: sed virtus irrita damno est. 210  
 At vestrum non vile genus, non patria vulgo,  
 Sparta suos et Creta suos promittit alumnos.  
 Sed primum celsa lorum cervice ferentem,  
 Glympice, te silvis egit Boeotius Hagnon,  
 Hagnon Astylides, Hagnon, quem plurima semper  
 Gratia per nostros unum testabitur usus.  
 Hic trepidas artes et vix novitate sedentes  
 Vidit, qua propior patuit via: nec sibi turbam  
 Contraxit comitem, nec vasa tenentia longe.  
 Unus praesidium, atque operi spes magna petito, 220  
 Adsumptus Metagon lustrat per nota ferarum  
 Pascua, per fontes, per quas trivère latebras,  
 Primae lucis opus: tum signa vapore ferino  
 Intemerata legens, si qua est, qua fallitur, ejus  
 Turba loci, majore secat spatia extera gyro.  
 Atque hic egressu jam tum sine fraude reperto  
 Incubuit spatiis, qualis permessa Lechaeis  
 Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum  
 Excitat, et primae spes ambitiosa coronae.  
 Sed ne qua ex nimio redeat jaçtura favore, 230  
 Lex dicta officiis: ne voce lacefferet hostem,  
 Neve levem praedam, aut propioris pignora lucri  
 Amplexus, primos nequidquam effunderet actus.  
 Jam vero impensum melior fortuna laborem  
 Quum sequitur, juxtaque domus quaesita ferarum,  
 Ut sciat, occultos et signis arguat hostes:  
 Aut effecta levi testatur gaudia cauda,  
 Aut ipsa infodiens uncis vestigia plantis  
 Mandit humum, celsasve adprensat naribus auras.

Et tamen, ut ne prima faventem pignora fallant, 240  
 Circa omnem, aspretis mediis qua clauditur orbis,  
 Ferre pedem, adcessusque, abitusque notasse ferarum  
 Admonet, et, si forte loci spes prima scellit,  
 (Rarum opus) incubuit spatiis ad prospera versis,  
 Intacto repetens prima ad vestigia gyro.  
 Ergo ubi plena suo rediit victoria sine,  
 In partem praedae veniat comes, et sua naris  
 Praemia: sic operi juvet inservisse benigno.  
 Hoc ingens meritum est, haec ultima palma tropaci,  
 Hagnon magne, tibi Divom concessa favore. 250  
 Ergo semper eris, dum carmina, dumque manebunt  
 Silvarum dotes, atque arma Diania terris.  
 Hic et semiferam Thoum de sanguine prolem  
 Finxit. non alio major sub pectore virtus,  
 Seu nôrit voces, seu nudi ad pignora Martis.  
 Thoës commissos (clarissima fama) leones  
 Et subière astu, et parvis domuère lacertis.  
 Nam genus exiguum, et, pudeat quam informe fateri,  
 Vulpina specie: tamen huic exacta voluntas.  
 At non est alius, quem tanta ad munia, foetus, 260  
 Exercere velis: haut te tua culpa refellat  
 Inter opus, quo fera cadit prudentia damno.  
 Junge pares ergo, et majorum pignore signa  
 Foeturam, prodantque tibi Metagonta parentes,  
 Qui genuère sua pecus hoc immane juventa.  
 Et primum expertos animi, quae gratia prima est,  
 In Venerem jungunt: tum fortis cura secunda,  
 Ne renuat species, aut quae detrectet honorem.  
 Sint celsi vultus, sint hirtae frontibus aures,  
 Os magnum, et patulis agitato morsibus ignes 270  
 Spirent, adstricti succingant ilia ventres,  
 Cauda brevis, longumque latus, discretaque collo  
 Caesaries, non pexa nimis, non frigoris illa  
 Impatiens: validis tum surgat pectus ab armis,



Quod magnos capiat motus, magnisque superfit.

Effuge, qui lata pandit vestigia planta;

Mollis in officio. siccis ego dura lacertis

Crura velim, et solidos haec in certamina calces.

Sed frustra longus properat labor, abdita si non

Altas in latebras, unice inclusa marito

280

Femina, nec patitur Veneris sub tempore magnos

Illa, neque emeritae servat fastigia laudis.

Primi complexus, dulcissima prima voluptas.

Hunc Veneris dedit impatiens natura furorem.

Si renuit cunctos, et mater adultera non est,

Da requiem gravidae, solitosque remitte labores.

Vix oneri super illa suo. tum deinde monebo,

Ne matrem indocilis natorum turba fatiget,

Percensere notis, jamque inde excernere parvos.

Signa dabunt ipsi. teneris vix artubus haeret

290

Ille tuos olim non defecturus honores:

Jamque illum impatiens aequae vehementia fortis

Extulit: adfectat materna regna sub alvo;

Ubera tota tenet, a tergo liber aperto,

Dum tepida indulget terris clementia mundi.

Verum, ubi Caurino perstrinxit frigore vesper,

Ira jacet, turbaque potens operitur inert.

Illius et manibus vires sit cura futuras

Perpensare: leves deducet pondere fratres:

Nec me pignoribus, nec te mea carmina fallent.

300

Protinus et cultus alios et debita foetae

Blandimenta feres, curaque sequere merentem:

Illa perinde suos, ut erit delata, minores;

Ac longam praestabit opem. tum denique, foetae

Cum desunt operi, fregitque industria matres,

Transeat in catulos omnis tutela relictos.

Lacte novam pubem, facilique tuebere maza:

Nec luxus alios, avidaeque impendia vitae

Noscant. haec magno redit indulgentia damno.

Nec mirum : humanos non est magis altera sensus. 310  
 Tollit se ratio, et vitiis aduentibus obstat.  
 Haec illa est, Pharios quae fregit noxia reges,  
 Dum servata cavis potant Marcotica gemmis,  
 Nardiferumque metunt Gangeni, vitiisque ministrant.  
 Sic et Achaemenio cecidisti, Lydia, Cyro.  
 Atqui dives eras, fluvialibus aurea venis.  
 Scilicet, ad summam ne quid restaret habendum,  
 Tu quoque luxuriae fictas dum colligis artes,  
 Et sequeris demens alienam, Graecia, culpam,  
 O quantum et quoties decoris frustrata paterni! 320  
 At qualis nostris, quam simplex mensa Camillis!  
 Qui tibi cultus erat post tot, Serrane, triumphos?  
 Ergo illi ex habitu, virtutisque indole priscæ,  
 Imposuere orbi Romam caput : aëtaque ab illis  
 Ad coelum virtus, summosque tetendit honores.  
 Scilicet exiguis magna sub imagine rebus  
 Prospicies, quae sit ratio, et quo sine regenda.  
 Idcirco imperium catulis, unusque magister  
 Additur : ille dapes, poenamque operamque ministrans  
 Temperet : hunc spectet silvas domitura juvenus. 330  
 Nec vile arbitrium est : cuicumque haec regna dicantur,  
 Ille tibi egregia juvenis de pube legendus,  
 Utrumque, et prudens, et sumptis impiger armis.  
 Quod nisi et adcessus, et agendi tempora belli  
 Noverit, et socios tutabitur hoste minores :  
 Aut cedent, aut illa tamen victoria damno est.  
 Ergo in opus vigila, factusque ades omnibus armis :  
 Arma acuere viam. tegat imas fascia furas.  
 Sit famulis vitulina tuis, aut tergore fulvo  
 Mantica, curta chlamys, canaque e Mele galeri : 340  
 Ima Toletano praecingant ilia cultro :  
 Terribilemque manu vibrata falarica dextrâ  
 Det sonitum, et curvâ rumpant non pervia falce.  
 Haec tua militia est : quin et Mavortia bello

Vulnera, et errantes per tot divortia morbos,  
 Causasque, adfectusque canum tua cura tueri est.  
 Stat fatum supra, totumque avidissimus Orcus  
 Pascitur, et nigris orbem circumsonat alis.  
 Scilicet ad magnum major ducenda laborem  
 Cura, nec expertos fallet Deus. hinc quoque nosse 350  
 Est aliud, quod praestet opus placabile numen.  
 Nec longe auxilium, licet alti vulneris orae  
 Abstiterint, atroque cadant cum sanguine fibrae:  
 Inde rape ex ipso, qui vulnus fecerit, hoste  
 Viosam eluviem, lacerique per ulceris ora  
 Sparge manu, venas dum fucus comprimat acer.  
 Mortis enim patuere viae. tum pura monebo  
 Circum labra sequi, tenuique includere filo.  
 At si pernicies angusto pascitur ore,  
 Contra pande viam, fallentesque argue causas: 360  
 Morborum in vitio facilis medicina recenti.  
 Sed tactu impositis mulcent pecuaria palmis,  
 (Id satis) aut nigrae circum picis unguine signant.  
 Quod si destrecto levis est in vulnere noxa,  
 Ipse habet auxilium validae natae salivae.  
 Illa gravis labe, et cura est altior illis,  
 Cum vitium causae totis egere latentes  
 Corporibus, seraque aperitur noxia summa.  
 Inde emissa lues, et per contagia morbus  
 Venere in vulgum, juxtaque exercitus ingens 370  
 Aequali sub labe ruit: nec viribus ullis,  
 Aut merito venia est, aut spes, exire precanti.  
 Quod sive a Stygia letum Proserpina nocte  
 Extulit, et Furiis commissam ulciscitur iram;  
 Seu vitium ex alto, spiratque vaporibus aether  
 Pestiferis, seu terra suos populatur honores:  
 Fontem averte mali. trans altas ducere valles  
 Admoneo: latumque fuga superabitis amnem.  
 Hoc primum effugium leti, tunc dicta valebunt

Auxilia, et nostra quidam redit usus ab arte. 320  
 Sed variū motus, nec in omnibus una potestas  
 Discite vices, et quae tutela est proxima, tenet.  
 Plurima per catulos rabies, invictaque tardis,  
 Praecipitat letale malum: sic tutius ergo  
 Antecire auxilium, et primas vincere causas.  
 Namque subit, nodis qua lingua tenacibus haeret,  
 (Vermiculum dixere) mala atque incondita pestis.  
 Ille, ubi salsa suti percepit viscera longa,  
 Aestivos vibrans adensus febris ignes,  
 Moliturque fugas, et sedem spernit amatam. 370  
 Scilicet hoc motu, stimulisque potentibus acti  
 In Furias vertere canes. ergo insuta ferro  
 Jam teneris elementa mali causasque recidunt.  
 Nec longa in facto medicina est ulcere. purum  
 Sparge salem, et tenui permulce vulnus olivo.  
 Ante relata suas quam nox bene compleat umbras,  
 Ecce aderit, factique oblitus vulneris, ultro  
 Blanditur mensis, Cereremque efflagitat ore.  
 Quid praestas artes inventaque simplicis anni  
 Si referam? non illa metus solatia falli 400  
 Tam longam traxere fidem. colligibus ergo  
 Sunt qui lucifugae cristas inducere Melis  
 Jusserit, aut sacris conserta monilia conchis,  
 Ex vivum lapidem, et circa Melliticia nectunt  
 Curalia, et magicis adjutas cantibus herbas.  
 At sic offensus, oculisque venena maligni  
 Vicit tutelā pax impetrata dentium.  
 At si deformis lacerum dulcedine corpus  
 Persequitur scabies, longi via pessima leti:  
 In primo adcessu tipsis medicina; sed unā 410  
 Pernicies redimenda animā, quae prima sequaci  
 Sparsa malo est, ne dira trahant contagia vulgum.  
 Quod si dat spatium clement, et promoveat ortu  
 Morbus, discite vias, et, quae sunt, artibus exi.

Tunc et odorato medicata bitumina vino,  
 Imponasque pices, immundaeque unguen amurcae.  
 Miscuit, et summam complectitur ignis in unam.  
 Inde lavant aegros. est ira coërcita morbi,  
 Laxatusque rigor, quae te, natura, timentem  
 Differat, et pluvias, et Cauri frigora vitent ; 420  
 Sic magis, ut nudis incumbunt vallibus aestus,  
 A vento ; clarique faces ad solis, ut omne  
 Exsudent vitium, subeatque latentibus ultro,  
 Quae facta est medicina, vadis. nec non tamen illum  
 Spumosi catulos mergentem litoris aestu  
 Respicit, et facilis Paean adjuvit in artes.  
 O rerum prudens, quantam experientia vulgo  
 Materiem largita boni, si vincere curent  
 Desidiam, et gratos agitando prendere fines!  
 Est in Trinacria specus ingens rupe, cavique 430  
 Introrsum reditus circum atrae moenia silvae  
 Alta premunt, ruptique ambustis faucibus amnes.  
 Vulcano condita domus, quam subter eunti  
 Stagna cedent, venis oleoque madentia vivo.  
 Huc defecta malà vidi pecuaria tabe  
 Saepe trahi, victosque malo graviore magistros.  
 Te primum, Vulcane, loci, pacemque precamur,  
 Incola Sancte, tuam, des ipsis ultima rebus  
 Auxilia : et, meriti si nulla est noxia tanti,  
 Tot miserere animas, liceatque adtingere fontes, 440  
 Sancte, tuos. ter quisque vocant, ter pinguia libant  
 Tura foco : struitur ramis felicibus ara.  
 Hic dictu mirum, atque alias ignobile monstrum  
 Adversis specubus, ruptoque e pectore montis  
 Venit, ovans austris, et multo flumine flammae  
 Emicat : ipse manu ramum pallente sacerdos  
 Termiteum quatiens. procul hinc extorribus ire  
 Edico, praesente Deo, praesentibus aris, [est,  
 Quis scelus aut manibus sumptum, aut in pectore motum

Inclamat. cecidere animi et trepidantia membra. 450  
 O quisquis misero fas umquam in supplice fregit,  
 Qui pretio fratrum, meliorisque ausus amici  
 Sollicitare caput, patriosve lacescere Divos;  
 Illum agat infandae comes huc audacia culpae,  
 Disceat, commissa quantum Deus ultor in ira  
 Pone sequens valeat: sed cui bona pectore mens est,  
 Obsequiturque Deo, Deus illam molliter aram  
 Lambit, et ipse, suos ubi contigit ignis honores,  
 Defugit ab sacris, rursusque reconditur antro:  
 Huic fas auxilium et Vulcania tangere dona. 460  
 Nec mora; si medias exedit noxia fibras,  
 His lave praesidiis, adfectaque corpora mulce,  
 • Regnantem excutiens morbum. Deus auctor, et ipsa  
 Artem aluit natura suam. quae robore pestis  
 Acrior, aut leto propior via? sed tamen illi  
 Hinc venit auxilium valida vehementius ira.  
 Quod primam si fallat opem dimissa facultas,  
 At tu praecipitem, qua spes est proxima, labem  
 Adgredere. in subito subita est medicina tumultu.  
 Stringendae nares, scindenda ligamina ferro 470  
 Armorum, geminaque cruor ducendus ab aure.  
 Hinc vitium, hinc illa est avidae vehementia pesti.  
 Ilicet auxiliis fessum solabere corpus:  
 Subsidasque fraces, diffusaque Massica prisco  
 Sparge cado. Liber tenues e pectore curas  
 Exiget: est morbo Liber medicina furenti.  
 Quid dicam tussis, quid moesti damna veterni,  
 Aut incurvatae si qua est tutela podagrae?  
 Mille tenent peste, curaque potentia major.  
 Mitte age: non opibus tanta est fiducia nostris; 480  
 Mitte animae ex alto ducendum numen Olympo,  
 Supplicibusque vocanda sacris tutela Deorum,  
 Idecirco aëriis molimur compita lucis,  
 Spicatasque faces sacrum, ad nemora alta, Dianae,

Siftimus, et solito catuli velantur honore ;  
 Ipsaque per flores medio in discrimine luci  
 Stravère arma, sacris et pace vacantia festâ.  
 Tum cadus, et viridi fumantia liba feretro  
 Praeveniunt, teneraque extrudens cornua fronte  
 Hoedus, et ad ramos etiamnum haerentia poma, 490  
 Lustralis de more sacri, quo tota juvenus  
 Lustraturque Deae, proque anno reddit honorem.  
 Ergo impetrato respondet multa favore  
 Ad partes. qua poscis opem, seu vincere silvas,  
 Seu tibi fatorum labes exire minasque  
 Cura prior ; tua magna fides tutelaque, Virgo,  
 Restat equos finire notis, quos arma Dianae  
 Admittant. non omne meas genus audet in artes.  
 Est vitium ex animo ; sunt quos imbellia fallant  
 Corpora: praeveniens quondam est incommoda virtus. 500  
 Consule, Penei qualis perfunditur amne  
 Thessalus, aut patriae quem conspexere Mycenae  
 Glaucum. nempe ingens, nempe ardua fundet in auras  
 Crura. quis Eleas potior lustravit arenas?  
 Ne tamen hoc adtingat opus ; jactantior illi  
 Virtus, quam silvas, durumque laceffere Martem.  
 Nec saevos miratur equos terrena Syene.  
 Scilicet et Parthis inter sua mollia rura  
 Mansit honor: veniat Caudini saxa Taburni,  
 Garganumve trucem, aut Ligurinas desuper Alpes, 510  
 Ante opus excussis cadet unguibus: et tamen illi  
 Est animus, fingetque meas se jussus in artes.  
 Sed juxta vitium posuit Deus. at tibi contra  
 Callaccis lustratur equis scruposa Pyrene.  
 Non tamen Hispano Martem tentare minacem  
 Ausim. Murcibii vix ora tenacia ferro  
 Concedunt. at tota levi Nasamoniam virgâ  
 Fingit equos. Pisis Numidae solvère jugales,  
 Audax et patiens operum genus. ille vigebit

Centum actus spatii, atque eluctabatur iram.  
 Nec magni cultus; sterilis quodcumque remisit  
 Terra, fuit, tenuisque sitim producere rivi.  
 Sic et Strymonio facilis tutela Bisaltæ;  
 Possent Aetnaeas utinam se ferre per arces;  
 Qui ludus Siculis. quid tum, si turpia colla,  
 Aut tenuis dorso curvatur spina? per illos  
 Cantatus Grajis Agragas, victor, iue fragosum  
 Nebroden liquere ferae. O quantus in armis  
 Ille meis, cujus dociles pecuaria foetus  
 Sufficient, quis Chaonias contendere contra  
 Ausit, vix merita quas signat Achaïa palma!  
 Spadices vix Pellaci valere Cerauni,  
 Et tibi devotæ magnum pecuaria Cyrrhae,  
 Phoebe, decus, nostras agere in sacraria tensas.  
 Venanti melius pugnat color. optima nigri  
 Crura illi, badiosque legunt in pectore crines,  
 Et quorum fessas imitantur terga favillas.  
 O quantum Italiae, sic dii volere, parentes  
 Praestant, et terras omni praecepimus usu!  
 Nostraque non segnis illustrat prata Juventus.

520

530

540

\* \* \*  
*Nonnulla erosa penitus legi non potuerunt in illo unico bu-  
 jus et sequentis poematii exemplari Longobardicis literis scrip-  
 to.*



M. AURELII OLYMPII  
NEMESIANI,  
Poëtae Carthaginensis,  
CYNEGETICON;

Sive de Venatione Lib. I.

EJUSDEM DE AUCUPIO FRAGMENTA DUO,

ECLOGAE IV.

Et ad Eumdem

T. CALPURNII SICULI

ECLOGAE VII.

## Fl. Vopiscus, de Numeriano.

*Versu autem talis fuisse praedicatur, ut omnes Poëtas sui temporis vicerit. nam et cum Olympio Nemesiano contendit, qui ἀλιπυτικά, κυνηγίτικα, et ναυτικά scripsit: quique omnibus coloniis (coronis Casaub.) illustratus emicuit, &c. quae male ad Nemesianum referunt alii.*

## Hincmarus Remensis Archiepiscopus, qui vixit sub Carolo Calvo.

*Nisi ut Venatores ferae lustra sequentes agere auditu et lectione puer scholarius in libro, qui inscribitur Kynegeticon Carthaginienfis Aurelii didici, hac illacque discurrendo retrograda etiam vestigia repetendo, anfractus tuos vestigando, explicare studerem. et statim: Quin potius tuam novam praesumptionem adiens;*

Mille vias, tristesque labores,  
Discursusque citos, securi proelia ruris,

*Et sincero corde lites domesticas subire compellar.*

Jul. Caes. Scaliger Hypercrit. cap. VII. in limine Secundae, et vere aureae aetatis Poëtarum.

*Cum duo elegantes Poëtae venationis praecepta pömate tractarint, Gratius et Nemesianus, alter alterius aut lima aut censor esse poterit. igitur Nemesiani stilus candidus, nec vulgare sopans. praeterea silvae propior, atque effusus. Gratius castigatior. et longe exactius simul cum natalibus ipsis designat mores, animos, vires, celeritatem; sagacitatem, faciem. et sane divini versus multi: velut ille (vide v. 205.) sed et festivus, &c. quae operae pretium est inspicere.*

## M. AURELII OLYMPII

## N E M E S I A N I

## Poëtae Carthaginienſis

## C Y N E G E T I C O N .

**V**Enandi cano mille vias : hilaresque labores,  
 Discurſusque citos, ſecuri proelia ruris,  
 Pandimus. Aonio jam nunc mihi pectus ab oestro  
 Aestuat. ingentes Helicon jubet ire per agros :  
 Caſtaliusque mihi nova pocula fontis alumno  
 Ingerit, et late campos metatur apertos :  
 Imponitque jugum vati, retinetque corymbis  
 Implicitum, ducitque per avia, qua ſola numquam  
 Trita rotis. juvat aurato procedere curru,  
 Et parere deo : virides en ire per herbas  
 Imperat : intacto premimus veſtigia muſco.  
 Et quamvis curſus ſe oſtendat tramite noto ;  
 Obvia Calliope, facies inſiſtere prato  
 Complacito, rudibus qua luceat orbita fulcis.  
 Nam quis non Nioben numeroſo funere moeſtam  
 Jam cecinit ? quis non Semelen, ignemque jugalem,  
 Letalemque ſimul, novit de pellicis aſtu ?  
 Quis magno recreata tacet cunabula Baccho ?  
 Ut pater omnipotens maternos reddere menſes  
 Dignatus, juſti completerit tempora partus ?  
 Sunt qui ſacrilego rotantes ſanguine thyrſos  
 (Nota nimis) dixiſſe velint, qui vincula Dirces,  
 Piſacique tori legem, Danaïque cruentum

10

20

Imperium, sponsasque truces sub foedere primo,  
 Dulcia funerels mutantés gaudia taedis.  
 Biblios indictum nulli scelus: impia Myrrhae  
 Connubia, et saevo violatum crimine patrem  
 Novimus, utque Arabum fugiens cum carperet arva,  
 Ivit in arboreas frondes, animamque virentem.  
 Sunt qui squamosi referant fera sibila Cadmi, 30  
 Stellatumque oculis custodem virginis Ius,  
 Herculeosque velint semper numerare labores,  
 Miratumque rudes se tollere Terea pinnas  
 Post epulas, Philomela, tuas. sunt ardua mundi  
 Qui male tentantem curru Phaëtona loquantur,  
 Extinctasque canant emisso fulmine flammás,  
 Fumantemque Padum, Cygnum, plumamque senilem,  
 Et stentes semper germani funere silvas.  
 Tantalidum casus, et sparsas sanguine mensas,  
 Condentemque caput visis Titana Mycenis, 40  
 Horrendasque vices generis dixere priores.  
 Colchidos iratae sacris imbuta venenis  
 Munera non canimus, pulchraeque incendia Glaucés,  
 Non crinem Nisi, non saevae pocula Circes,  
 Nec nocturna pie furantem busta sororem.  
 Haec jam magnorum praecepit copia vatum,  
 Omnis et antiqui vulgata est fabula secli.  
 Nos saltus, viridesque plagas, camposque patentes  
 Scrutamur, totisque citi discurremus arvis:  
 Et varias cupimus facili cane sumere praedas: 50  
 Nos timidos lepores, imbelles figere damas,  
 Audacesque lupos, vulpem captare dolosam  
 Gaudemus. nos flumineas errare per umbras  
 Malumus, et placidis Ichneumona quacrere ripis  
 Inter arundineas segetes, selemque minacem  
 Arboris in trunco longis praefigere telis,  
 Implicitumque sinu spinosi corporis Erem  
 Ferre domum: talique placet dare lintea curae;

Dum non magna ratis vicinis sueta moveri  
 Litoribus, tutosque sinus percurrere remis, 60  
 Nunc primum dat vela notis, portusque fideles,  
 Linqvit, et Hadriacas audet tentare procellas.  
 Mox vestros meliore lyra memorare triumphos  
 Adcingar, divi fortissima pignora Cari,  
 Atque canam nostrum geminis sub finibus orbis  
 Litus, et edomitas fraterno numine gentes,  
 Quae Rhenum Tigrimque bibunt, Ararisque remotum  
 Principium, Nilique bibunt ab origine fontem.  
 Nec taceam primum quae nuper bella sub Arcto  
 Felici, Carinae, manu confeceris, ipso 70  
 Paene prior genitore deo: utque intima frater  
 Perfidos, et veteres Babylonos ceperit arces,  
 Ultus Romulei violata cacumina regni.  
 Imbellemque fugam referam, clausasque pharetras  
 Parthorum, laxosque arcus, et spicula nulla.  
 Haec vobis nostrae libabunt carmina Musae,  
 Cum primum vultus sacros, bona numina terrae,  
 Contigerit vidisse mihi. jam gaudia nota  
 Temporis impatiens sensus, spretorque morarum,  
 Praesumit: videorque mihi jam cernere fratrum 80  
 Augustos habitus, Romam, clarumque senatum,  
 Et fidos ad bella duces, et milite multo  
 Agmina, quis fortes animat devotio mentes.  
 Aurea purpureo longe radiantia velo  
 Signa micant, sinuatque truces levis aura dracones.  
 Tu modo, quae saltus placidos silvasque pererras  
 Latonae, Phoebe, magnum decus, eja age suetos  
 Sume habitus, arcumque manu: pictamque pharetram  
 Suspende ex humeris: sint aurea tela, sagittae:  
 Candida puniceis aptentur crura cothurnis: 90  
 Sit chlamys aurato multum subtemine lusa,  
 Corrugisque sinus gemmatis baltheus artet  
 Nexibus: implicitos cohibe diademate crines.

Tecum Naïades faciles, viridique juvena  
 Pubentes Dryades, Nymphaeque, unde amnibus humor,  
 Adsint, et docilis decantet Orcadas Echo.

Due age, Diva, tuum frondosa per avia vatem :  
 Te sequimur : tu pande domos et lustra ferarum.

Huc igitur mecum, quisquis percussus amore  
 Venandi, damnas lites, avidosque tumultus, 100  
 Civilesque fugis strepitus, bellique fragores,  
 Nec praedas avidus sectaris gurgite ponti :

Principio tibi cura canum non segnis ab Anno

Incipiat primo, cum Janus temporis auctor  
 Pandit inocciduum bisseis mensibus aevum.

Elige tunc cursu facilem, facilemque recursum,  
 Seu Lacedaemonio natam, seu rure Molosso,  
 Non humili de gente canem. sit cruribus altis,  
 Sit rigidis, multamque gerat sub pectore lato

Costarum sub sine, decenter prona carinam, 110  
 Quae sensim rursus siccæ se colligat alvo,  
 Renibus ampla satis validis, diductaque coxas,  
 Cuique nimis molles fluitent in cursibus aures.

Huic parilem submitte marem, sic omnia magnum,  
 Dum superant vires, dum laeto flore juvenus,  
 Corporis et venis primaevi sanguis abundat.

Namque graves morbi subeunt, segnisque senectus :  
 Invalidamque dabunt non firmo robore prolem.  
 Sed diversa magis foeturae convenit aetas.

Tu, bis vicenis plenum jam mensibus, aere 120  
 In Venerem permittite marem : sit femina, binos  
 Quae tulerit soles. haec optima cura jugandis.

Sed non Spartanos tantum, tantumve Molossos  
 Pascendum catulos : divisa Britannia mittit  
 Veloces, nostrique orbis venatibus aptos.

Nec tibi Pannonicae stirpis temnatur origo,  
 Nec quorum proles de sanguine manat Ibero.  
 Quin etiam siccae Libyes in finibus acres

Gignuntur catuli, quorum non spreveris usum.  
 Mox quum se bina formavit lampade Phoebe, 130  
 Ex quo passa marem genitalia viscera turgent,  
 Fecundos aperit partus matura gravedo  
 Continuo, largaque vides strepere omnia prole:  
 Sed, quamvis avidus, primos contemnere partus  
 Malueris, mox non omnes nutrire minores.  
 Nam tibi si placitum populosos pascere foetus,  
 Jam macie tenues, succique videbis inanes,  
 Pugnantesque diu, quisnam prior ubera lambat,  
 Distrahere invalidam lassato viscere matrem.  
 Sin vero haec cura est, melior ne forte necetur, 140  
 Abdaturve domo, catulosque probare voluntas,  
 Quis nondum gressus stabiles, neque lumina passa  
 Luciferum videre jubar, quae prodidit usus  
 Percipe, et intrepidus spectatis adnue dictis.  
 Pondere nam catuli poteris perpendere vires,  
 Corporibusque leves gravibus praenoscere cursu.  
 Quin et flammato ducatur linea longe  
 Circuitu, signetque habilem vapor igneus orbem,  
 Impune in medio possis consistere circo.  
 Huc omnes catuli, huc indiscreta feratur 150  
 Turba, dabit mater partus examine honestos,  
 Iudicio natos servans, trepidoque periclo.  
 Nam postquam conclusa videt sua germina flammis,  
 Continuo saltu transcendens fervida zonae  
 Vincla, rapit rictu primum, portatque cubili;  
 Mox alium, mox deinde alium. sic conscia mater  
 Segregat egregiam sobolem virtutis amore.  
 Hos igitur genetrice simul, jam vere sereno,  
 Molli pasce sero. passim nam lactis abundans  
 Tempus adest, albent plenis et ovilia mulctris. 160  
 Interdumque cibo Cererem cum lacte ministra,  
 Fortibus ut succis teneras complere medullas  
 Possint, et validas jam tunc promittere vires.

Sed postquam Phoebus candentem fervidus axem  
 Contigerit, tardasque vias, Cancrique morantis  
 Sidus inuit, tunc consuetam minuisse saginam  
 Profuerit, tenuisque magis retinere cibatus :

Ne gravis articulos depravet pondere moles.

Nam quum membrorum nexus nodosque relaxant,  
 Infirmosque pedes, et crura natantia ponunt ;

170

Tunc etiam niveis armantur dentibus ora.

Sed neque conclusos teneas, neque vincula collo

Impatiens circumdederis, noccasque futuris

Cursibus imprudens. catulis nam saepe remotis

Aut vexare trabes, laceras aut pandere valvas

Mens erit, et teneros torquent conatibus artus ;

Obtunduntve novos adroso robore dentes,

Aut teneros duris impingunt postibus ungues.

Mox quum jam validis insistere cruribus actas

Passa, quater binos volvens ab origine menses,

180

Illaevis catulos spectaveris undique membris,

Tunc rursus miscere sero Cerealia dona

Conveniet, fortemque dari de frugibus escam.

Libera tunc primum consuescant colla ligari,

Concordes et ferre gradus, clausique teneri.

Jam quum bis denos Phoebe reparaverit ortus,

Incipe non longo catulos producere cursu ;

Sed parvae vallis spatio, septove novali.

His leporem praemitte manu, non viribus aequis,

Nec cursus virtute parem ; sed tarda trahentem

190

Membra ; queant jam nunc faciles ut sumere praedas.

Nec semel indulge catulis moderamine cursus ;

Sed, donec validos etiam praevertere suescant,

Exerceto diu, venandi munera cogens

Discere, et emeritae laudem virtutis amare.

Nec non consuetae norint hortamina vocis,

Seu cursus revocent, jubeant seu tendere cursus.

Quin etiam docti victam contingere praedam,



Examinare velint tantum, non carpere sumptam.

Sic tibi veloces catulos reparare memento 200

Semper, et in parvos iterum protendere curas.

Nam tristes morbi, scabies et sordida venis

Saepe venit, multamque canes discrimine nullo

Dant stragem : tu sollicitos impende labores,

Et sortire gregem suffecta prole quotannis.

Quin acidos Bacchi latices Tritonide oliva

Admiscere decet; catulosque canesque maritas

Unguere profuerit, tepidoque ostendere soli,

Auribus et tineas candenti pellere cultro.

Est etiam canibus rabies, letale periculum, 210

Quod seu coelesti corrupto sidere manat,

Quum segnes radios tristi jaculatur ab aethra

Phoebus, et attonito pallens caput exerit orbe :

Seu magis ignicomi candentia terga Leonis

Quum quatit, hoc canibus blandis inviscerat aestus :

Exhalat seu terra sinu, seu noxius aër

Causa mali; seu, quum gelidus non sufficit humor,

Torrida per venas concrescunt semina flammae.

Quidquid id est, imas agitat sub corde medullas,

Inque feros rictus, nigro spumante veneno, 220

Profilit, insanos cogens infigere morsus.

Disce igitur potus medicos, curamque salubrem.

Tunc virosa tibi sumes, multumque domabis

Castorea, attritu filicis lentescere cogens.

Ex ebore huc trito pulvis sectove feratur,

Admiscensque diu facies concrescere utrumque :

Mox lactis liquidos sensim superadde fluores,

Ut non cunctantes haustus infundere cornu

Inferto possis, furiasque repellere tristes,

Atque iterum blandas canibus componere mentes. 230

Quin et Tuscorum non est extrema voluptas

Saepe canum : sit forma illis licet obsita villo,

Dissimilesque habeant catulis velocibus artus ;

Haud tamen injucunda dabunt tibi munera praedae.  
 Namque et odorato noscunt vestigia prato,  
 Atque etiam leporum secreta cubilia monstrant.  
 Horum animos, moresque simul, naresque sagaces  
 Mox referam: nunc omnis adhuc narranda supellex  
 Venandi, cultusque mihi dicendus equorum.

Cornipedes igitur lectos det Graecia nobis, 240  
 Cappadocumque notas referat generosa propago:  
 Armata et palmis nuper grex omnis avorum.  
 Illis ampla satis levi sunt aequora dorso,  
 Immodicumque latus, parvaeque ingentibus alvi,  
 Ardua frons, auresque agiles, capitique decoro  
 Altus honos, oculique vago splendore micantes:  
 Plurima se validos cervix resupinat in armos:  
 Fumant humentes calida de nare vapores:  
 Nec pes officium standi tenet: ungula terram  
 Crebra ferit, virtusque artus animosa fatigat. 250  
 Quin etiam gens ampla jacet trans ardua Calpes  
 Culmina, cornipedum late secunda proborum.  
 Namque valent longos pratisintendere cursus.  
 Nec minor est illis, Grajo quam in corpore, forma.  
 Nec non terribiles, spirabile flumen, anheli  
 Provolvunt flatus, et lumina vivida torquent,  
 Hinnitusque cient tremuli, frenisque repugnant.  
 Nec segnes mulcent aures, nec crure quiescunt.  
 Sit tibi praeterea sonipes, Maurusia tellus  
 Quem mittit, modo sit gentili sanguine firmus: 260  
 Quemque coloratus Mazax deserta per arva  
 Pavit, et adsiduos docuit tolerare labores.  
 Nec pigeat quod turpe caput, deformis et alvus  
 Est ollis, quodque infrenes, quod liber uterque,  
 Quodque jubeis pronos cervix diverberet armos.  
 Nam flecti facilis, lascivaque colla secutus,  
 Paret in obsequium lentae moderamine virgae.  
 Verbera sunt praecepta fugae, sunt verbera freni.

Quin et promissi spatiosa per aequora campi  
 Curfibus adquireunt commoto fanguine vires, 270  
 Paullatimque avidos comites post terga relinquunt.  
 Haud fecus effufis Nerei per caerula ventis,  
 Cum fe Threicius Boreas super extulit antro,  
 Stridentique fonò vastas exterruit undas,  
 Omnia turbato cefferunt flamina ponto :  
 Ipfe, super fluctus spumanti murmure fervens,  
 Confpicuum pelago caput eminent : omnis euntem  
 Nereidum mirata suo super aequore turba.  
 Horum tarda venit longi fiducia curfus :  
 His etiam emerito vigor eft juvenilis in aevo. 280  
 Nam quaecumque fuis virtus bene floruit annis,  
 Non prius eft animo, quam corpore, paffa ruinam.  
 Pafce igitur sub vere novo farragine molli  
 Cornipedes, venamque feri, veteresque labores  
 Effluere adfpecta nigri cum labe cruoris.  
 Mox laetae redeunt in pectora fortia vires,  
 Et nitidos artus diftento robore formant.  
 Mox fanguis venis melior calet : ire viarum  
 Longa volunt, latumque fuga consumere campum.  
 Inde ubi pubentes calamos duraverit aestas, 290  
 Laetentefque urens herbas ficcaverit omnem  
 Mefibus humorem, culmifque armarit ariftas :  
 Hordea tum, paleasque leves praebere memento.  
 Pulvere quin etiam puras fecernere fruges  
 Cura fit, atque toros manibus percurrere equorum,  
 Gaudeat ut plaufu fonipes, laetumque relaxet  
 Corpus, et altores rapiat per viscera fucos.  
 Id curent famuli, comitumque animofa juventus.  
 Nec non et caffes ídem venatibus aptos,  
 Atque plagas, longoque meantia retia tractu 300  
 Addifcant raris femper contexere nodis,  
 Et fervare modum maculis, linoque tenaci.  
 Linea quin etiam, magnos circumdare faltus

Quae possit, volucresque metu concludere praedas,  
 Digerat innexas non una ex alite pinnas.  
 Namque urfos, magnosque sues, cervosque fugaces,  
 Et vulpes, acresque lupos, ceu fulgura coeli  
 Terrificant, linique vetant transcendere septum.  
 Has igitur vario semper fucare veneno  
 Cura tibi, niveisque alios miscere colores, 310  
 Alternosque metus subtemine tendere longo.  
 Dat tibi pinnarum terrentia millia vultur,  
 Dat Libye, magnarum avium secunda creatrix;  
 Dantque grues, cygnique senes, et candidus anser;  
 Dant, quae fluminibus crassisque paludibus errant,  
 Pellitosque pedes stagnanti gurgite tinguunt:  
 Hinc magis Puniceas nativo munere sumes:  
 Namque illic sine fine greges florentibus alis  
 Invenies avium, suavique rubescere luto,  
 Et sparsos passim tergo vernare colores. 320  
 His ita dispositis, hiemis sub tempus aquosae  
 Incipe veloces catulos immittere pratis,  
 Incipe cornipedes latos agitare per agros:  
 Venemur, dum mane novum, dum mollia prata  
 Nocturnis calcata feris vestigia servant.

## FRAGMENTA

DUO EX LIBRO

NEMESIANI

DE AUCUPIO.

\* \* \* \* \*

**E**T Tetracem, Romae quem nunc vocitare Taracem  
 Coeperunt, avium est multo stultissima: namque,  
 Cum pedicas neci sibi contemplaverit adstans,  
 Immemor ipse sui tamen in dispendia currit.  
 Tu vero, adductos laquei cum senseris orbis,  
 Adpropera, et praedam pennis crepitantibus aufer.  
 Nam celer oppressi fallacia vincula colli  
 Excutit, et rauca subsannat voce magistri  
 Consilium, et laeta fruitur jam pace solutus.  
 Hic prope Pontinum, et radicibus Apennini 10  
 Nidificat, patulis qua se sol objicit agris:  
 Persimilis cineri dorsum, maculosaque terga  
 Inficiunt pullae cacabantis imagine guttae.  
 Tarpejae est custos arcis non corpore major,  
 Nec qui te volucres docuit, Palamede, figuras.  
 Saepe ego nutantem sub iniquo pondere vidi  
 Mazonomi puerum, portat cum prandia cirro,  
 Quae consul, praetorve novus construxit ovanti.

\* \* \* \* \*

Cum nemus omne suo viridi spoliatur honore,  
 Fultus equi niveis silvas pete protinus altas

30 FRAGM. EX LIB. DE AUCUPIO.

Exuviis : praeda est facilis, et amoena Scolopax :  
Corpore non Paphiis avibus majore videbis.  
Illa sub aggeribus primis, qua proluit humor,  
Pascitur, exignos sectans, obsonia, vermes.  
At non illa oculis, quibus est obtusior, et si  
Sint nimium grandes, sed acutis naribus instat.  
Impresso in terram rostri mucrone sequaces  
Vermiculos trahit, et vili dat praemia gulae.

*Citaverunt haec ex V. C. Bononiensi Gisb.  
Longolius, et Conr. Gesnerus.*

M. AURELII OLYMPII

NEMESIANI

Poëtae Carthaginienſis

BUCOLICON.

ECLOGA I. EPIPHUNUS.

TIMETAS, TITYRUS.

**D**UM fiſcella tibi fluviali, Tityre, junco  
 Texitur, et raucis reſonant tua rura cicadis:  
 Incipe, ſi quod habes gracili ſub arundine carmen  
 Compoſitum. nam te calamos inſtare labello  
 Pan docuit, verſuque bonus tibi favit Apollo.  
 Incipe, dum falices hoedi, dum gramina vaccae  
 Detondent, viridique greges permittere campo  
 Et ros, et primi ſuadet clementia ſolis.  
 TIT. Hos annos, canamque meam, mihi care, ſenectam  
 Tu juvenis, caruſque deis in carmina cogis? 10  
 Viximus, et calamis verſus cantavimus olim,  
 Dum ſecura hilares aetas ludebat amores.  
 Nunc album caput, et veneres tepuere ſub annis:  
 Jam mea ruricolae dependet fiſtula Fauno.  
 Te nunc rura ſonant: nuper nam carmine victor  
 Riſiſti calamos et diſſona ſtamina Mopſi,  
 Judice me. mecum ſenior Meliboeus utrumque  
 Audierat, laudesque tuas ſublime ferebat.

Quem nunc, emeritae permensum tempora vitae,  
Secreti pars orbis habet mundusque piorum. 20

Quare age, si qua tibi Meliboei gratia vivit,  
Dicat honoratos praedulcis tibia manes.

TIM. Et parere decet iussis, et grata jubentur.

Namque fuit dignus senior, quem carmine Phoebus,  
Pan calamis, fidibusque Linus, modulatibus Orpheus  
Concinerent, atque acta viri laudesque sonarent.

Sed quia tu nostrae musam deposcis avenae,

Accipe, quae super haec cerasus, quam cernis ad amnem,  
Continet, inciso servans mea carmina libro.

TIT. Dic age; sed, nobis ne vento garrula pinus 30

Obstrepat, has ulmos potius fagosve petamus.

TIM. Hic cantare libet: virides nam suggerit herbas

Mollis ager, lateque tacet nemus omne. quieti,

Aspice, ut, ecce, procul decerpant gramina tauri.

Omniparens aether, et rerum causa liquores,

Corporis et genetrix tellus vitalis, et aer,

Accipite hos calamos, atque haec nostro Meliboeo

Mittite, si sentire datur post fata quietis.

Nam si sublimes animae coelestia templa,

Sidereasque colunt sedes, mundoque fruuntur: 40

Tu nostros adverte modos, quos ipse benigno

Pectore fovisti, quos tu, Meliboeo, probasti.

Longa tibi, cunctisque diu spectata senectus,

Felicesque anni, nostrique novissimus aevi

Circulus, innocuae clauserunt tempora vitae.

Nec minus hinc nobis gemitus lacrimaeque fuere,

Quam si florentes mors invida pelleret annos.

Nec tenuit tales communis causa querelas;

Heu, Meliboeo, jaces letali frigore senis

Lege hominum, coelo dignus, canente senecta, 50

Concilioque Deum. plenum tibi ponderis aequi

Pectus erat. tu ruricolam discernere lites

Adfueras, varias patiens mulcendo querelas.



Sub te ruris amor, sub te reverentia justī  
 Floruit, ambiguos signavit terminus agros.  
 Blanda tibi vultus gravitas, et mite serena  
 Fronte supercilium, sed pectus mitius ore.  
 Tu calamos aptare labris, et jungere cera  
 Hortatus, duras docuisti fallere curas.  
 Nec segnem passus nobis marcere juventam, 60  
 Saepe dabas meritaē non vilia praemia Musae.  
 Saepe etiam senior, ne nos cantare pigeret,  
 Laetus Phoebea dixisti carmen avena.  
 Felix o Meliboee, vale. tibi frondis odorae  
 Munera dat, lauros carpens, ruralis Apollo:  
 Dant Fauni, quod quisque valet, de vite racemos,  
 De campo culmos, omnique ex arbore fruges.  
 Dat grandaeva Pales spumantia cymbia lacte,  
 Mella ferunt Nymphae, pictas dat Flora coronas.  
 Manibus hic supremus honos. dant carmina Musae, 70  
 Carmina dant Musae; nos te modulamur avena.  
 Silvestris nunc te platanus, Meliboee, susurrat,  
 Te pinus; reboat te, quidquid carminis Echo  
 Respondet silvae, te nostra armenta loquuntur.  
 Namque prius ficcis phocae pascentur in arvis,  
 Hirsutusque freto vivet leo, dulcia mella  
 Sudabunt taxi, confusis legibus anni,  
 Messē trīstis hiems, aestas tractabit olivas,  
 Ante dabit flores autumnus, ver dabit uvas,  
 Quam taceat, Meliboee, tuas mea fistula laudes. 80  
 TIT. Perge puer, coeptum tibi jam ne desere carmen.  
 Nam sic dulce sonas, ut te placatus Apollo  
 Provehat, et felix dominam perducatur ad urbem.  
 Namque hic in silvis praefens tibi fama benignum  
 Stravit iter, rumpens livoris nubila plena.  
 Sed jam sol demittit equos de culmine mundi,  
 Flumīneos suadens gregibus praebere liquores.

## E C L O G A II.

## IDAS ET ALCON.

**F**ormosam Donacen puer Idas, et puer Alcon  
 Ardebant : rudibusque annis incensus uterque  
 In Donaces Venerem furiata mente ruebant.  
 Hanc, cum vicini flores in vallibus horti  
 Carperet, et molli gremium compleret acantho,  
 Invasere simul, Venerisque immitis uterque  
 Tum primum dulci carpebant gaudia furto.  
 Hinc amor, et pueris jam non puerilia vota ;  
 Quis anni ter quinque hiemes, et cura juventae.  
 Sed postquam Donacen duri clausere parentes, 10  
 Quod non tam tenui filo de voce sonaret,  
 Sollicitusque foret linguae sonus, improba cervix,  
 Suffususque rubor crebro, venaeque tumentes :  
 Tum vero ardentes flammati pectoris aestus  
 Carminibus, dulcique parant relevare querela.  
 Ambo aevo, cantuque pares, nec dispare forma :  
 Ambo genis leves, intonsi crinibus ambo :  
 Atque sub hac platano moesti solatia casus  
 Alternant : Idas calamis, et versibus Alcon.  
**ID.** Quae colitis sylvas Dryades, quaeque antra Napeae,  
 Et quae marmoreo pede, Naiades, uda secatis 21  
 Litora, purpureosque alitis per gramina flores,  
 Dicite, quo prato Donacen, qua forte sub umbra  
 Inveniam, roseis stringentem lilia palmis?  
 Nam mihi jam trini perierunt ordine soles,  
 Ex quo consueto Donacen exspecto sub antro.  
 Interea, tamquam nostri solamen amoris  
 Hoc foret, aut posset rabidos medicare furores,  
 Nulla meae trinis tetigerunt gramina vaccae

Luciferis, nulloque biberunt amne liquores: 30  
 Siccaque foetarum lambentes ubera matrum  
 Stant vituli, et teneris mugitibus aëra complent.  
 Ipse ego nec molli junco, nec vimine lento  
 Perfeci calathos cogendi lactis in usus.  
 Quid tibi, quæ nosti, referam? scis mille juvencas  
 Esse mihi: nosti numquam mea mulctrà vacare.  
 Idas ille ego sum, Donace, cui sæpe dedisti  
 Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus,  
 Atque inter calamos errantia labra petisti. 40  
 Eheu nulla meae te tangit cura salutis!  
 Pallidior buxo, violaeque simillimus erro.  
 Omnes ecce cibos, et nostri pocula Bacchi  
 Horreo: nec placido memini concedere somno.  
 Te sine, vae misero! mihi lilia nigra videntur,  
 Pallentesque rosæ, nec dulce rubens hyacinthus,  
 Nullos nec myrtus, nec laurus spirat odores.  
 At tu si venias, et candida lilia fient,  
 Purpureaeque rosæ, et dulce rubens hyacinthus,  
 Tum mihi cum myrto laurus spirabit odores.  
 Nam dum Pallas amet turgentes sanguine baccas, 50  
 Dum Bacchus vites, deus et fata poma Priapus,  
 Pascua laeta Pales, Idas te diliget unam.  
 Haec Idas calamis. tu, quæ responderit Alcon  
 Versu, Phoebe, refer, sunt aurea carmina Phoebō.  
 ALC. O montana Pales, ô pastoralis Apollo,  
 Et nemorum Sylvane potens, et nostra Dione,  
 Quæ juga celsa tenes Erycis, cui cura jugales  
 Concubitus hominum totis connectere seclis,  
 Quid merui, cur me Donace formosa reliquit?  
 Munera namque dedi, noster quæ non dedit Idas; 60  
 Vocalem, longos quæ ducit Aëdona cantus:  
 Quæ, licet interdum contexto vimine clausa,  
 Quum parvae patuere fores, ceu libera ferri  
 Novit, et agrestes inter volitare volucres:

Scit rursus remeare domum, testumque subire  
 Vininis, et caveam totis praeponere silvis.  
 Praeterea tenerum leporem, geminasque palumbes  
 Nuper, quae potui, silvarum praemia misi.  
 Et post haec Donace nostros contemnis amores?  
 Forsitan indignum ducis, quod rusticus Alcon 70  
 Te cupiam, qui mane boves in pascua ducam :  
 Dii pecorum pavere greges, formosus Apollo,  
 Pan doctus, Fauni vates, et pulcher Adonis.  
 Quin etiam fontis speculo me mane notavi,  
 Nondum purpureos Phoebus cum tolleret ortus,  
 Nec tremulum liquidis splenderet lumen in undis.  
 Quod vidi, nulla tegimur lanngine malas.  
 Pascimus et crinem. nostro formosior Ida  
 Dicor : et hoc ipsum mihi tu narrare solebas,  
 Purpureas laudando genas, et lactea colla, 80  
 Atque hilares oculos, et formam puberis aevi.  
 Nec sumus indocti calamis. cantamus avena,  
 Qua divi cecinere prius, qua dulce locutus  
 Tityrus, è silvis dominam pervenit ad urbem.  
 Nos quoque, te propter, Donace, cantabimur urbi:  
 Si modo coniferas inter viburna cupressos,  
 Atque inter pinos corylum frondescere fas est.  
 Sic pueri Donacen toto sub sole canebant :  
 Frigidus è silvis donec descendere suasit  
 Hesperus, et stabulis pastos inducere tauros.

## E C L O G A III.

## B A C C H U S.

## P A N.

**N**Yctilos, atque Mycon, nec non et pulcher Amyntas  
 Torrentem patula vitabant ilice solem;  
 Quum Pan venatu fessus recubare sub ulmo  
 Coeperat, et somno lassatas sumere vires;  
 Quem super ex tereti pendeat fistula ramo.

Hanc pueri (tamquam praedam pro carmine possent  
 Sumere, fasque esset calamos tractare deorum)

Invadunt furto: sed nec resonare canorem

Fistula, quem fuerat, nec vult contexere carmen.

Sed pro carminibus male dissona sibila reddit. 10

Tum Pan excussus sonitu stridentis avenae,

Jamque videns, Pueri, si carmina poscitis, inquit,

Ipse canam. nulli fas est inflare cicutas,

Quas ego Maenaliis cera conjungo sub antris;

Jamque ego, Bacche, tuos ortus et semina vitis

Ordine detexam. debemus carmina Baccho.

Haec fatus, coepit calamis sic montivagus Pan.

Te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis

Vitea ferta plicas, qui comptas palmitibus tigris

Ducis odorato perfusus colla capillo, 20

Vera Jovis proles; jam tunc post sidera coeli

Sola Jovem Semele vidit Jovis ora professum.

Hunc pater omnipotens, venturi providus aevi,

Protulit, et justo produxit tempore partus.

Hunc Nymphae, Faunisque senes, Satyrique procaces,

Nos etiam Nysae viridi nutrimus in antro.

Quin et Silenus parvum veneratus alumnum,  
 Aut gremio fovet, aut resupinis sustinet ulnis,  
 Et vocat ad risum digito, motuque quietem  
 Adlicit, aut tremulis quassat crepitacula palmis. 30  
 Cui deus adridens, horrentes pectore setas  
 Vellicat, aut digitis aures adstringit acutas,  
 Adplauditve manu mutilum caput, aut breve mentum,  
 Et simas tenero collidit pollice nares.  
 Interea pueri florescit pube juventa,  
 Flavaque maturo tumuerunt tempora cornu.  
 Tum primum lactas ostendit pampinus uvas.  
 Mirantur Satyri frondes et poma Lyaci.  
 Tum Deus, ô Satyri, maturos carpите fructus,  
 Dixit, et ignotos, pueri, calcate racemos. 40  
 Vix haec ediderat, decerpunt vitibus uvas,  
 Et portant calathis, celerique illidere planta  
 Concava saxa super properant, vindemia fervet  
 Collibus in summis, crebro pede rumpitur uva,  
 Nudaque purpureo sparguntur pectora musto.  
 Tum Satyri, lasciva cohors, sibi pocula quisque  
 Obvia corripiunt: quod fors dedit, hoc capit usus.  
 Cantharon hic retinet, cornu bibit alter adunco:  
 Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit:  
 Pronus at ille lacu bibit, et crepitantibus haurit 50  
 Musta labris: alius vocalia cymbala mergit:  
 Atque alius latices pressis resupinus ab uvis  
 Excipit, at potis saliens liquor ore resultat,  
 Spumeus inque humeros et pectora diffluit humor.  
 Omnia ludus habet. cantusque chorosque licentes,  
 Et Venerem jam vina movent. raptantur amantes,  
 Concubitu Satyri fugientes jungere Nymphas,  
 Jam jamque elapsas hic crine, hic veste retentat.  
 Tum primum roseo Silenus cymbia musto  
 Plena senex avide non aequis viribus hausit. 60  
 Ex illo venas inflatus nectare dulci,

Hesternoque gravis semper ridetur Iaccho.  
Quin etiam deus ille, deus Jove profatus ipso,  
Et plantis uvas premit, et de vitibus hastas  
Ingerit, et lynxi praebet cratera bibenti.

Hacc Pan Maenalia pueros in valle docebat,  
Sparsas donec oves campo conducere in unum  
Nox jubet, uberibus suadens siccare liquorem  
Lactis, et in niveas adstrictum cogere glebas.

## E C L O G A IV.

## E R O S.

LYCIDAS, MOPSUS.

**P**Opulea Lycidas, nec non et Mopsus in umbra,  
 Pastores, calamis ac versu doctus uterque,  
 Nec triviale sonans, proprios cantabat amores.  
 Nam Mopsò Meroë, Lycidæ crinitus Jolas  
 Ignis erat: parilisque furor de dispare sexu  
 Cogebat trepidos totis discurrere silvis.  
 Hos puer ac Meroë multum lufere furentes,  
 Dum modo condictas vitant in vallibus ulmos,  
 Nunc fagos placitas fugiunt, promissaque fallunt  
 Antra, nec est animus solitos adludere fontes. 10  
 Tum tandem fessi, quos lufus adederat ignis,  
 Sic sua desertis nudarunt vulnera silvis,  
 Inque vicem dulces cantu dixere querelas.  
 MOP. Immitis Meroë, rapidisque fugacior Euris,  
 Cur nostros calamos, cur pastoralia vitas  
 Carmina? quemve fugis? quae me tibi gloria victo?  
 Quid vultu mentem premis, ac, spem fronte serenans,  
 Tandem dura negas? non possum nolle negantem.  
 " Cantet, amat quod quisque: levant et carmina curas.  
 LYC. Respice me tandem, puer ó crudelis Jola: 20  
 Non hoc semper eris. perdunt et gramina flores,  
 Perdit spina rosas, nec semper lilia cudent,  
 Nec longum tenet uva comas, nec populus umbras.  
 Donum forma breve est, nec se tibi commodat annis.  
 " Cantet, amat quod quisque: levant et carmina curas.  
 MOP. Cerya marem sequitur, taurum formosa juvenca,



Et Venerem sensere lupae, sensere leaenae,  
 Et genus aërium volucres, et squamea turba,  
 Et montes, silvaeque: suos habet arbor amores.

Tu tamen una fugis; miserum tu perdis amantem. 30

" Cantet, amat quod quisque: levant et carmina curas.

Lyc. Omnia tempus alit, tempus rapit: usus in arto est.

Ver erat, et vitulos vidi sub matribus istos,

Qui nunc pro nivea coëre in cornua vacca.

Et tibi jam tumidae nares, jam fortia colla,

Jam tibi bis denis numerantur messibus anni.

" Cantet, amat quod quisque: levant et carmina curas.

Mop. Huc, Meroë formosâ, veni; vocat aestus in umbram:

Jam pecudes subiere nemus, jam nulla canoro

Gutture cantat avis, torto non squamea tractu 40

Signat humum serpens. solus cano, me sonat omnis

Silva, nec aestivis cantu concedo cicadis.

" Cantet, amat quod quisque: levant et carmina curas.

Lyc. Tu quoque saeve puer, niveum ne perde colorem

Sole sub hoc; solet hic lucentes urere malas.

Hic age pampinea mecum requiesce sub umbra.

Hic tibi lene fluens fons murmurat; hic et ab ulmis

Purpureae foetis dependent vitibus uvae.

" Cantet, amat quod quisque: levant et carmina curas.

Mop. Qui tulerit Meroës fastidia longa superbae, 50

Sithonias feret ille nives, Libycosque calores,

Nerinas potabit aquas, taxique nocentis

Non metuet fucos, Sardoaque gramina vihet,

Et sua Marmaricos coget juga ferre leones.

" Cantet, amat quod quisque: levant et carmina curas.

Lyc. Quisquis amat pueros, ferro praecordia duret,

Nil properet, discatque diu patienter amare,

Prudentesque animos teneris non spernat in annis,

Perferat et fastus. sic olim gaudia sumet,

Si modo sollicitos aliquis deus audit amantes. 60

" Cantet, amat quod quisque: levant et carmina curas.

MOP. Quid prodest, quod me pagani mater Amyntae  
 Ter vittis, ter fronde sacra, ter ture vapore  
 Lustravit, cineresque averfa effudit in amnem,  
 Incendens vivo crepitantes sulphure lauros.  
 Cum sic in Meroën totis miser ignibus arsi?

" Cantet, amat quod quisque : levant et carmina curas.

LYC. Haec eadem nobis varieque coloria fila,

Et mille ignotas Mycale circumtulit herbas:

Cantavit, quod luna timet, quo rumpitur anguis, 70

Quo currunt scopuli, migrant sata, vellitur arbos.

Plus tamen ecce meus, plus est formosus Iolas.

" Cantet, amat quod quisque : levant et carmina curas.

T. CALPURNII SICULI  
BUCOLICON,

A D

NEMESIANUM CARTHAGINIENSEM.

E C L O G A I.

D E L O S.

O R N I T U S, C O R Y D O N.

**N**ondum solis equos declivis mitigat aestas,  
Quamvis et madidis incumbant praela racemis,  
Et spument rauco ferventia musta susurro.

COR. Cernis ut (ecce) pater quas tradidit, Ornite, vaccae  
Molle sub hirsuta latus explicuere genista?

Nos quoque vicinis cur non succedimus umbris?  
Torrída cur solo defendimus ora galero?

OR. Hoc potius, frater Corydon, nemus, ista petamus  
Antra patris Fauni; graciles ubi pinea densat  
Silva comas, rapidoque caput levat obvia soli: 10

Bullantes ubi fagus aquas radice sub ipsa  
Protegit, et ramis errantibus implicat umbras.

COR. Quo me cumque vocas sequor, Ornite. nam mea Leuce,  
Dum negat amplexus nocturnaue gaudia nobis,  
Pervia cornigeri fecit sacraria Fauni.

OR. Prome igitur calamos, et si qua recondita servas.  
Nec tibi defuerit mea fistula, quam mihi nuper  
Matura docilis compegit arundine Lygdon.

Et jam captatae pariter successimus umbrae.

Sed quaenam sacra descripta est pagina fago,

20

Quam modo nescio quis properanti falce notavit?

COR. Adspicis, ut virides etiam nunc litera rimas

Servet, et arenti nondum se laxet hiatu?

Ornite, ser propius tua lumina: tu potes alto

Cortice descriptos citius percurrere versus.

Nam tibi longa satis pater internodia largus,

Procerumque dedit mater non invida corpus.

OR. Non pastor, non hoc triviali more viator,

Sed deus ipse canit: nihil armentale resultat;

Non montana sacros distinguunt júbila versus.

30

COR. Mira refers. sed rumpe moras, oculoque sequaci

Quamprimum nobis divinum perlege carmen.

OR. Qui juga, qui silvas tueor fatus aethere Faunus,

Haec populis ventura cano. juvat arbore sacra

Laeta patefactis incidere carmina fagis.

Vos ó praecipue nemorum gaudete coloni,

Vos populi gaudete mei. licet omne vagetur

Securo custode pecus, nocturnaue pastor

Claudere fraxinea nolit praesepia crate:

Non tamen insidias praedator ovilibus ullas

40

Adferet, aut laxis abiget jumenta capistris.

Aurea secura cum pace renascitur aetas,

Et redit ad terras tandem squalore situque

Alma Themis posito, juvenemque beata sequuntur

Secula, maternis caussam qui lusit in ulnis.

Dum populos Deus ipse reget, dabit impia vincas

Post tergum Bellona manus, spoliataque telis

In sua vesanos torquebit viscera morsus:

Et modo quae toto civilia distulit orbe,

Secum bella geret. nullos jam Roma Philippos

50

Dessebit, nullos ducet captiva triumphos.  
 Omnia Tartareo subigentur carcere bella,  
 Immergentque caput tenebris, lucemque timebunt.  
 Candida pax aderit, nec solum candida vultu,  
 Qualis saepe fuit, quae libera Marte professo,  
 Quae, domito procul hoste, tamen grassantibus armis  
 Publica diffudit tacito discordia ferro.  
 Omne procul vitium simulatae cedere pacis  
 Jussit, et insanos clementia condidit ensis.  
 Nulla catenati feralis pompa senatus 60  
 Carnificum lassabit opus, nec carcere pleno  
 Infelix raros numerabit curia patres.  
 Plena quies aderit, quae stricti nescia ferri  
 Altera Saturni revocet Latialia regna,  
 Altera regna Numae, qui primus ovantia caede  
 Agmina, Romuleis et adhuc ardentia castris,  
 Pacis opus docuit, jussitque silentibus armis  
 Inter sacra tubas, non inter bella, sonare.  
 Jam nec adumbrati faciem mercatus honoris,  
 Nec vacuos tacitus fasces, et inane tribunal 70  
 Adcipiet consul: sed legibus omne reductis  
 Jus aderit, moremque fori vultumque priorem  
 Reddet, et adfictum melior deus auferet aevum.  
 Exsultet quaecumque Notum gens ima jacentem,  
 Erectumque colit Boream, quaecumque vel ortu  
 Vel patet occasu, mediove sub aethere fervit.  
 Cernitis, ut puro nox jam vigesima coelo  
 Fulgeat? ut placidum radianti luce cometem  
 Proferat? ut liquidum mittat sine vulnere sidus?  
 Non per utrumque polum, sicut solet, igne cruento 80  
 Spargit, et ardenti scintillat sanguine lampas.  
 At quondam non-talis erat, quum Caesare raptò  
 Indixit miseris fatalia civibus arma.  
 Scilicet ipse Deus Romanae pondera molis  
 Fortibus excipiet sic inconcussa lacertis,

Ut neque translati sonitu fragor intonet orbis,  
Nec prius ex meritis defunctos Roma penates  
Censeat, occasus nisi quum respexerit ortus.

COR. Ornate, jam dudum velut ipso numine plenum  
Me quatit, et mixtus subit inter gaudia terror :

90

Sed bona facundi veneremur numina Fauni.

OR. Carmina, quae nobis deus obtulit ipse canenda,  
Dicamus, teretique sonum modulemur avena :  
Forfitan Augustas feret haec Meliboeus ad aures.

## E C L O G A II.

## C R O C A L E.

ASTACUS, IDAS, THYRSIS.

**I**Ntactam Crocalen puer Astacus, et puer Idas,  
 Idas lanigeri dominus gregis, Astacus horti,  
 Dilexere diu: formosus uterque, nec impar  
 Voce sonans. terras hi cum gravis ureret aestas,  
 Ad gelidos fontes et easdem forte sub ulmos  
 Conveniunt, dulcique simul contendere cantu  
 Pignoribusque parant. placet, hic ut vellera septem,  
 Ille sui victus ne messem vindicet horti.  
 Et magnum certamen erat sub iudice Thyrsi.  
 Adfuit omne genus pecudum, genus omne ferarum, 10  
 Et quaecumque vagis altum ferit aëra pennis.  
 Convenit umbrosa quicumque sub ilice lentas  
 Pascit oves, Faunusque pater, Satyrique bicornes.  
 Adfuerunt sicco Dryades pede, Naidés udo,  
 Et tenuere suos properantia flumina cursus.  
 Desistunt tremulis incurrere frondibus Euri,  
 Altaque per totos fecere silentia montes.  
 Omnia cessabant, neglectaque pascua tauri  
 Calcabant: illis etiam certantibus ausa est  
 Daedala nectareos apis intermittere flores. 20  
 Jamque sub annosa medius confederat ulmo  
 Thyrsis, et, ó pueri, me iudice, pignora, dixit,  
 Irrita sint moneo: satis hoc mercedis habeto,  
 Si laudem victor, si fert opprobria victus.  
 Et nunc alternos magis ut distinguere cantus  
 Possitis, ter quisque manus jactate micantes.

Nec mora, decernunt digitis, prior incipit Idas.

Id. Me Silvanus amat, dociles mihi donat avenas,  
Et mea frondenti circumdat tempora taeda.

Ille etiam parvo hoc dixit mihi non leve carmen,  
Jam levis obliqua crescit tibi fistula canna. 30

As. At mihi Flora comas parienti gramine spargit,  
Et matura mihi Pomona sub arbore ludit.

Adcipe, dixerunt Nymphae, puer, adcipe fontem,  
Nam potes irriguis nutrire canalibus hortos.

Id. Me docet ipsa Pales cultum gregis, ut niger albae  
Terga maritus ovis nascenti mutet in agna,  
Quae neque diversi speciem servare parentis  
Possit, et ambiguo testetur utrumque colore.

As. Non minus arte mea mutabilis induit arbos  
Ignotas frondes, et non gentilia poma. 40

Ars mea nunc malo pira temperat, et modo cogit  
Insita praecoquibus subrepere persica prunis.

Id. Me teneras salices juvat, aut oleastra putare,  
Et gregibus portare, novas ut carpere frondes  
Condiscant, primoque recidere gramina morsu,  
Ne depulsa vagos quaerat foetura parentes.

As. Et mihi, cum fulvis radicibus arida tellus  
Panditur, irriguo perfunditur area fonte,  
Et satiatur aqua, fucos ne forte priores  
Languida mutata quaerant plantaria ter. a. 50

Id. O si quis Crocalen deus adferat! hunc ego terris,  
Hunc ego sideribus solum regnare fatebor:  
Decernamque nemus, dicamque, sub arbore numen  
Hoc erit, ite procul (sacer est locus) ite profani.

As. Urimur in Crocalen: si quis mea vota deorum  
Audiat, huic soli, virides qua gemmeus undas  
Fons agit, et tremulo percurrit lilia rivo,  
Inter pampineas ponetur faginus ulmos.

Id. Ne contemne casus, et pastoralia testata:  
Rusticus est (fateor) sed non est barbarus Idas. 60



Saepe vaporato mihi cespite palpitat agnus,  
Saepe cadit festis devota Palilibus agna.

As. Nos quoque pomiferi laribus consuevimus horti

Mittere primitias, et fingere liba Priapo:

Rorantesque favos damus, et liquentia mella.

Nec fore grata minus, quam si caper imbuat aras.

Id. Mille sub uberibus balantes pascimus agnas:

Totque Tarentinae praestant mihi vellera matres:

Per totum niveus premitur mihi caseus annum. 70

Si venias, Crocale, totus tibi serviet hornus.

As. Qui numerare velit, quam multa sub arbore nostra

Poma legam, citius tenues numerabit aristas.

Semper olus metimus; nec bruma, nec impedit aestas,

Si venias, Crocale, totus tibi serviet hortus.

Id. Quamvis siccus ager languentes excoquat herbas,

Sume tamen calathos nutanti lacte coactos.

Vellera tunc dabimus, quum primum tempus apricum

Surget, et a tepidis fiet tonsura Kalendis.

As. Et nos, quos etiam praetorrida munerat aestas, 80

Mille reidenti dabimus tibi cortice Chias,

Castaneasque nuces totidem, cum sole Novembri

Maturis nucibus virides rumpentur echini.

Id. Num, precor, informis videor tibi? num gravis annis?

Decipiorque miser, quoties mollissima tango.

Ora manu, primique sequor vestigia floris

Nescius, et gracili digitos lanugine fallo?

As. Fontibus in liquidis quoties me conspicio, ipse

Admiror toties. etenim sic flore juventae

Induimus vultus, ut in arbore saepe notavi 90

Cerea sub tenui lucere Cydonia lana.

Id. Carmina poscit amor, nec fistula cedit amori.

Sed fugit ecce dies, revocatque crepuscula vesper,

Hinc tu, Daphni, greges, illinc agat Alpheisboeus.

As. Jam resonant frondes, jam cantibus obstrepit arbor,

I procul, ô Dorida, primumque reclude canalem,  
Et sine jam dudum sitientes irriget hortos.

Vix ea finierant, senior quum talia Thyrsis :  
Este pares, et ab hoc concordēs vivite ; nam vos  
Et decor, et cantus, et amor sociavit, et actas.

## E C L O G A III.

## E X O R A T I O.

I O L A S, L Y C I D A S.

**N**Umquid in hac, Lycida, vidisti forte juvencam  
Valle meam? solet illa tuis occurrere tauris.

Et jam paene duas, dum quaeritur, eximit horas:

Nec tamen adparet. duris ego perdita ruscis

Jam dudum nullis dubitavi crura rubetis

Scindere, nec quidquam post tantum sanguinis egi.

**Lyc.** Non satis attendi: neque enim vacat. uror, Iola,

Uror, et immodice: Lycidan ingrata reliquit

Phyllis, amatque novum post tot mea munera Mopsum.

**IOL.** Mobilior ventis ô femina. sic tua Phyllis? 10

Quae sibi (nam memini) si quando solus abesses,

Mella etiam sine te jurabat amara videri.

**Lyc.** Altius ista querar: si forte vacabis, Iola,

Has pete nunc salices, et laevas flecte sub ulmos:

Nam cum prata calent, illic requiescere noster

Taurus amat, gelidaque jacet spatiat in umbra,

Et matutinas revocat palcaribus herbas.

**IOL.** Non equidem, Lycida, quamvis contemptus, abibo.

Tityre, quas dixit salices pete laevus, et illinc,

Si tamen invenies, deprensam verberare multo 20

Huc age. sed fractum referas hastile memento.

Nunc age, dic, Lycida, quae vos tam magna tulere

Jurgia? quis vestro deus intervenit amori?

LYC. Phyllide contentus, (solus tu testis Iola es)

Callirhoën sprevi, quamvis cum dote rogaret.

En sibi cum Mopsō calamos intexere cera

Incipit, et puero comitata sub ilice cantat.

Hoc ego quum vidi, (fateor) sic intimus arsi,

Ut nihil ulterius tulerim. nam protinus ambas

Diduxi tunicas, et pectora nuda cecidi.

30

Aleippen irata petit, dixitque, relicto,

Improbe, te, Lycida, Mopsū tua Phyllis amabit.

Nunc penes Aleippen manet, ac ne forte vagetur

Ah vercor. nec tam nobis ego Phyllida reddi

Exopto, quam, quod Mopsō jurgetur anhelō.

IOI. A te coeperunt tua jurgia: tu prior illi

Victas tende manus. decet indulgere puellae,

Vel quum prima nocet. si quid mandare juyabit,

Sedulū iratae contingam nuntius aures.

LYC. Jam dudum meditor, quo Phyllida carmine placem:

Forſitan audito poterit miteſcere cantu:

41

Et ſolet illa meas ad ſidera ferre Camenas.

IOI. Dic age, nam cerasi tua cortice verba notabo,

Et decisa feram rutilanti carmina libro.

LYC. Has tibi, Phylli, preces jam pallidus, hos tibi cantus

Dat Lycidas, quos nocte miser modulatur acerba,

Dum flet, et excusso dispergit lumina somno.

Non sic destrieta macrescit turdus olivā,

Non lepus, extremas legulus quum sustulit uvas,

Ut Lycidas, domina sine Phyllide, tabidus erro.

50

Te sine, vae misero! mihi lilia nigra videntur;

Nec sapiunt fontes, et acescunt vina bibenti.

At si tu venias, et candida lilia fient,

Et sapient fontes, et dulcia vina bibentur.

Ille ego sum Lycidas, quo te cantante solebas

Dicere felicem, cui dulcia saepe dedisti

Oſcula, nec medios dubitaſti rumpere cantus,

Atque inter calamos errantia labra petiſti.

Ah dolor! et post hoc placuit tibi torrida Mopsi  
 Vox? et carmen inops? et acerbae stridor avenae? 60  
 Quem sequeris? quem, Phylli, fugis? formosior illo.  
 Dicor, et hoc ipsum mihi tu narrare solebas.  
 Sum quoque divitior. certaverit ille tot haedos  
 Pascere, quot nostri numerantur vespere tauri?  
 Quid tibi, quae nosti, referam? scis, optima Phylli,  
 Quam numerosa meis siccetur bucula mulctris,  
 Et quam multa suos suspendat ad ubera natos.  
 Sed mihi nec gracilis sine te fiscella salicto  
 Textitur, et nullo tremuere coagula lacte.  
 Quod si dura times etiam nunc verbera, Phylli; 70  
 Tradimus ecce manus. licet illae et vimine torto,  
 Scilicet et lenta post tergum vite domentur,  
 Ut mala nocturni religavit brachia Mopsi  
 Tityrus, et medio furem suspendit ovili.  
 Accipe, ne dubita, mernit manus utraque poenas.  
 His tamen, his, isdem, manibus tibi saepe palumbes,  
 Saepe etiam leporem, decepta matre, paventem  
 Misimus in gremium. per me tibi lilia prima  
 Contigerant, primaeque rosae. vix dum bene florem  
 Degustabat apis, tu cingebare coronis. 80  
 Aurea sed forsán mendax tibi munera jactat,  
 Qui metere occidua ferale nocte lupinos  
 Dicitur, et cocto pensare legumine panem:  
 Qui sibi tunc felix, tunc fortunatus habetur,  
 Vilia quum subigit manualibus hordea saxis.  
 Quod si turpis amor precibus (quod abominor) istis  
 Obstiterit, laqueum miseri necemus ab illa  
 Illice, quae primum nostros violavit amores.  
 Hi tamen ante mala figentur in arbore versus:  
 " Credere, pastores, levibus nolite puellis: 90  
 " Phyllida Mopsus amat, Lycidas habet ultima rerum.  
 Nunc age, si quidquam miseris succurris, Iola,  
 Perfer, et exora modulato Phyllida cantu.

Ipse procul stabo, vel acuta carice tectus,  
Vel propius latitans vicina, ut saepe, sub ara.

IOI. Ibimus, et veniet, nisi me praesagia fallunt:  
Nam bonus a dextro fecit mihi Tityrus omen.  
Qui redit inventa non irritus, ecce, juvenca.

## E C L O G A IV.

C A E S A R.

MELIBOEUS, CORYDON, AMYNTAS.

**Q**uid tacitus, Corydon, vultuque subinde minaci,  
 Quidve sub hac platano, quam garrulus adstrepit  
 humor,

Infesta statione sedes? juvat humida forsan

Ripa? levatque diem vicini spiritus amnis?

**COR.** Carmina jam dudum, non quae nemorale resultent,

Volvimus, ó Meliboee; sed haec, quibus aurea possint

Secula cantari, quibus et deus ipse canatur,

Qui populos urbemque regit, pacemque togatam.

**ME.** Dulce quidem resonas, nec te diversus Apollo

Respicit, ó juvenis; sed magnae numina Romae 10

Non ita cantari debent, ut ovile Menalcae.

**COR.** Quidquid id est, silvestre licet videatur acutis

Auribus, et nostro tantum memorabile pago:

Dum mea rusticitas, si non valet arte polita

Carminis, at certe valeat pietate probari.

Rupe sub hac eadem, quam proxima pinus obumbrat,

Haec eadem nobis frater meditatus Amyntas,

Quem vicena meis natalibus admovet aestas.

**MEL.** Jam puerum calamos et odoraе vincula cerae

Jungere non cohibes, levibus quem saepe cicutis 20

Ludere conantem vetuisti fronte paterna?

Dicentem, Corydon, te non semel ista notavi:

Frangere, puer, calamos, et inanes desere Musas,

Et potius glandes rubicundaque collige corna :  
 Duc ad mulctra greges, et lac venale per urbem  
 Non tacitus porta. quid enim tibi fistula reddet,  
 Quo tutere famem? certe mea carmina nemo,  
 Praeter ab his scopulis ventosa remurmurat echo.  
 COR. Haec ego, confiteor, dixi, Meliboece; sed olim :  
 Non eadem nobis sunt tempora, non Deus idem. 30  
 Spes magis adridet. certe ne fraga rubosque  
 Colligerem, viridique famem solarer hibisco,  
 Tu facis, et tua nos alit indulgentia farre.  
 Tu nostras miseratus opes, docilemque juventam,  
 Hiberna prohibes jejunia solvere fago.  
 Ecce nihil querulum per te, Meliboece, sonamus,  
 Per te secura saturi recubamus in umbra,  
 Et fruimur silvis Amaryllidos. ultima nuper  
 Litora terrarum, nisi tu, Meliboece, fuisses,  
 Ultima visuri, trucibusque obnoxia Mauris 40  
 Pascea Geryonae, liquidis ubi cursibus ingens  
 Dicitur occiduas impellere Baetis arenas.  
 Scilicet extremo nunc vilis in orbe jacerem,  
 Ah dolor! et pecudes inter conductus Iberas,  
 Irrita septena modularer sibila canna :  
 Nec quisquam nostras inter dumeta Camenas  
 Respiceret : non ipse Jaret mihi forsitan aurem,  
 Ipse Deus, vacuum, longeque sonantia vota  
 Scilicet extremo nunc exaudiret in orbe.  
 Sed, nisi forte tuas melior sonus avocet aures, 50  
 Et nostris aliena magis tibi carmina ridant,  
 Vis hodierna tua subigatur pagina lima?  
 Nam tibi non solum venturos noscere nimbos  
 Agricolae, qualemque ferat sol aureus ortum,  
 Adtribuere dei? sed dulcia carmina saepe  
 Concinis, et modo te Baccheis Musa corymbis  
 Munerat, et lauro modo pulcher obumbrat Apollo.  
 Quod si tu faveas trepido mihi, forsitan illos



Experiar calamos, here quos mihi doctus Iolas  
 Donavit, dixitque : Truces haec fistula tauros 60  
 Conciliat, nostroque sonat dulcissima Fauno.

Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in istis  
 Montibus, Hyblaea modulabile carmen avena.

MEL. Magna petis, Corydon, si Tityrus esse laboras.

Ille fuit vates sacer, et qui posset avena

Praefonuisse chelyn, blandae cui saepe canenti

Adlusere ferae, cui substitit advena quercus,

Quem modo cantantem rutilo spargebat acantho

Naïs, et inPLICITOS comebat pectine crines.

COR. Est (fateor, Meliboeë) Deus: sed nec mihi Phoebus

Forsthan abnuerit, tu tantum commodus audi: 71

Scimus enim, quam te non adspernetur Apollo.

MEL. Incipe, nam faveo: sed prospice, ne tibi forte

Tinnula tam fragili respiret fistula buxo,

Quam resonare solet, si quando laudat Alexin.

Hos potius calamos, magis hos sectare canales,

Pro me qui dignas cecinerunt consule silvas.

Incipe, ne dubita: venit en et frater Amyntas:

Cantibus iste tuis alterno succinet ore.

Dicite, ne mora sit, vicibusque reducite carmen: 80

Tuque prior, Corydon, tu proximus ibis, Amynta.

COR. Ab Jove principium, si quis canit aethera, sumat,

Si quis Atlantiaci molitur pondus Olympi:

At mihi, qui nostras praesenti numine terras,

Perpetuamque regit juvenili robore pacem,

Lactus, et Augusto felix adrideat ore.

AM. Me quoque facundo comitatus Apolline Caesar

Respiciat, montes neu dedignetur adire,

Quos et Phoebus amat, quos Juppiter ipse tuetur:

In quibus augustos visuraque saepe triumphos 90

Laurus fructificat, vicinaque nascitur arbos.

COR. Ipse polos etiam qui temperat igne geluque,

Juppiter ipse parens, cui tu jam proximus ipse,

Caesar, abes, posito paullisper fulmine saepe  
 Cressia rura petit, viridique reclinis in antro  
 Carmina Dictaeis audis Curetica silvis.

AM. Adspicis, ut virides, audito Caesare, silvae  
 Conticeant? memini, quamvis urgente procella,  
 Sic nemus immotis subito requiescere ramis,  
 Et dixi: Deus hinc, certe Deus expulit Euros, 100  
 Nec mora Pharsaliae solverunt sibila cannae.

COR. Adspicis, ut teneros subitus vigor excitet agnos?  
 Utque superfuso magis ubera lacte graventur?  
 Et nuper tonsis exundent vellera foetis?  
 Hoc ego jam (memini) semel hac in valle notavi,  
 Et, venisse Palem, pecoris dixisse magistros.

AM. Scilicet omnis eum tellus, gens omnis adorat,  
 Diligiturque deis: quem sic taciturna verentur  
 Arbuta, cujus iners audito nomine tellus  
 Incaluit, floremque dedit; cui silva vocato 110

Densat odore comas, stupefacta regerminat arbos.

COR. Illius ut primum senserunt numina terrae,  
 Coepit et uberius, sulcis fallentibus olim,  
 Luxuriare seges, tandemque legumina plenis  
 Vix resonant siliquis: nec praefocata malignum  
 Messis habet lolium, nec inertibus albet avenis.

AM. Jam neque damnatos metuit jactare ligones  
 Fossor, et invento, si Fors dedit, utitur auro.

Nec timet, ut nuper, dum jugera versat arator,  
 Ne sonet offenso contraria vomere massa: 120

Jamque palam presso magis ac magis instat aratro.

COR. Ille dat, ut primas Cereri dare cultor aristas  
 Possit, et intacto Bromium perfundere vino,  
 Ut nudus ruptas saliat calcator in uvas,  
 Ut quoque turba bono plaudat signata magistro,  
 Qui facit egregios ad pervia compita ludos.

AM. Ille meis pacem dat montibus: ecce per illum  
 Seu cantare juvat, seu ter pede laeta ferire

Carmina, non nullas licet hic cantare choreas,  
Et cantus viridante licet mihi condere libro, 130

Turbida nec calamos exsurdant classica nostros.

COR. Numine Caesareo securior ipse Lyceus  
Pan recolit silvas, et amoena Faunus in umbra

Securus recubat, placidoque in fonte lavatur

Nais, et humanum non calcatura cruorem

Per juga siccato velox pede currit Oreas.

AM. Dii, precor, hunc juvenem, quem vos ( nisi fallor )  
ab ipso

Aethere misistis, post longa reducite vitae

Tempora, vel potius mortale resolvite pensum,

Et date perpetuo coelestia fila metallo: 140

Sit deus, et nolit pensare Palatia coelo.

COR. Tu quoque, mutata seu Juppiter ipse figura,

Caesar, ades, seu quis superum sub imagine falsa

Mortalique lates: vivas, atque hunc, precor, orbem,

Hos, precor, aeternus populos rege; sit tibi coeli

Vilis amor, coeptamque, pater, ne desere terram.

MEL. Rustica credebam nemorales carmina vobis

Concessisse deos, et obesis auribus apta:

Verum, quae imparibus modo concinivistis avenis,

Tam liquidum, tam dulce canunt, ut non ego malim, 150

Quod Peligna solent examina, lambere nectar.

COR. O mihi quam tenero decurrunt carmina versu!

Tum, Meliboeae, sonent, si quando in montibus istis

Dicar habere Larem, si quando nostra videre

Pascua contigerit. vellit nam saepius aurem

Invida paupertas: et dixit, ovilia cura.

At tu, si qua modo non adspernanda putabis,

Fer, Meliboeae, Deo mea carmina: nam tibi fas est

Sacra Palatini penetralia visere Phoebi:

Tu mihi talis eris, qualis qui dulce sonantem 160

Tityron e silvis dominam deduxit in urbem,

Ostenditque Deos, et spreto dixit ovili,

Tityre rura prius, sed post cantabimus arma.

AM. Respiciat nostros utinam fortuna labores

Pulchrior, et merita faveat Deus ipse juventae!

Nos tamen interea tenerum maetabimus hoedum,

Et pariter subitae peragemus fercula coenae.

MEL. Nunc ad flumen oves deducite : jam fremit aedlas,

Jam sol contractas pedibus magis admovet umbras.

## E C L O G A V.

## M Y C O N.

**F**Orte Mycon senior, Canthusque Myconis alumnus,  
 Torrentem patula vitabant arbore solem,  
 Quum juveni senior praecepta daturus alumno,  
 Talia verba refert tremulis titubantia labris:  
 Quas errare vides inter dumeta capellas,  
 Canaque lascivo concidere gramina morsu,  
 Canthe puer; quos ecce greges a monte remotos  
 Cernis in aprico decerpere gramina campo,  
 Hos tibi do senior juveni pater: ipse tuendos  
 Accipe: jam certe potes insudare labori, 10  
 Jam pro me gnavam potes exercere juventam.  
 Adspicis, ut nobis jamdudum mille querelas  
 Adferat, et baculum premat inclinata senectus?  
 Sed qua lege regas et amantes lustra capellas,  
 Et melius pratis errantes mollibus agnas,  
 Percipe. vere novo, quum jam tinnire volucres  
 Incipient, nidosque reversa lutabit hirundo;  
 Protinus hiberno pecus omne movebis ovili.  
 Tunc etenim toto vernanti gramine silva  
 Pullat, et aestivas reparabilis inchoat umbras: 20  
 Tunc florent silvae, viridisque renascitur annus.  
 Tunc Venus, et calidi scintillat fervor amoris,  
 Lascivumque pecus salientes accipit hircos.  
 Sed non ante greges in pascua mittito clausos,  
 Quam fuerit placata Pales. tum cespite vivo  
 Pone focum, Geniumque loci, Faunumque, Laremque  
 Salso farre voca: tepidos tunc hostia cultros  
 Imbuat: atque etiam, dum vivit, ovilia lustra.

Nec mora; tunc campos ovibus, dumeta capellis  
Orto sole dabis, simul hunc transcendere montem  
Coeperit, et primae spatium tepescerit horae.

30

At si forte vaces, dum matutina relaxat  
Frigora sol, tumidis spument tibi mulsura papillis,  
Implebis, quod messe fluat: rursusque premetur  
Mane, quod occiduae mulsura redegerit horae.  
Parce tamen foetis: nec sint compendia tanti,  
Destruat ut niveos venalis caseus agnos:  
Nam tibi praecipuo foetura colatur amore.

Te quoque non pudeat, quum serus ovilia vises,  
Si qua jacebit ovis partu resoluta recenti,  
Hanc humeris portare tuis, natosque tepenti  
Ferre sinu tremulos, et nondum stare paratos.  
Nec tu longinquas procul a praesepibus herbas,  
Nec nimis amotae scilabere pabula silvae,  
Dum peragit vernum Jovis inconstantia tempus.

40

Veris enim dubitanda fides: modo fronte serena  
Blandius adrisit, modo cum caligine nimbos  
Intulit, et miseras torrentibus abstulit agnas.

At quum longa dies sitientes adferet aestus,  
Nec fuerit variante deo mutabile coelum;  
Jam silvis committe greges, jam longius herbas  
Quaere: sed ante diem pecus exeat. humida dulces  
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Euris  
Frigida nocturno tinguuntur pascua rore,  
Et matutinae lucent in gramine guttae.

50

At simul argutae nemus increpuere cicadae,  
Ad fontem compelle greges, nec protinus herbas,  
Vel campos permitte sequi: sine protegat illos  
Interea veteres quae porrigit aesculus umbras.

Verum ubi declivi jam nona tepescere sole  
Incipiet, seraque videbitur hora merendae;  
Rurus pascere greges, et opacos desere lucos,  
Nec prius aestivo pecus includatur ovili,

60

Quam levibus nidis somnos captare volueris  
 Cogitet, et tremuli tremebunda coagula lactis.  
 Sucida jam tereti constringere vellera junco  
 Quum jam tempus erit, maternas demere lanas,  
 Hircorumque jubas, et olentes caedere barbas,  
 Ante tamen fecerne pecus, gregibusque notatis  
 Consimiles include comas; ne longa minutis, 70  
 Mollia ne duris coëant, ne candida fuscis.  
 Sed tibi quum vacuas posito velamine costas  
 Denudabit ovis, circumspice, ne sit acuta  
 Forfice laesa cutis, tacitum ne pustula virus  
 Texerit occulto sub vulnere: quae nisi ferro  
 Rumpitur, ah miserum fragili rubigine corpus  
 Corrodet sanies, et putrida contrahet ossa.  
 Providus (hoc moneo) viventia sulphura tecum,  
 Et Scyllae caput, atque intacta bitumina porta,  
 Ulceribus laturus opem: nec Brutia desit 80  
 Dura tibi, et liquido simul unguine terga, (memento)  
 Si sint rafa, linas. vivi quoque pondera melle  
 Argenti coquito, lentumque bitumen aheno,  
 Impressurus ovi tua nomina. nam tibi lites  
 Auferet ingentes lectus possessor in armo.  
 Tunc etiam, dum siccus ager, dum fervida tellus,  
 Dum rimosa palus, et multo torrida limo  
 Aestuatur, et fragiles nimius sol pulverat herbas,  
 Lurida conveniet succendere galbana septis,  
 Et tua cervino lustrare mapalia fumo: 90  
 Obfuit iste malis odor anguibus; ipse videbis  
 Serpentum cecidisse minas. non stringere dentes  
 Ulla potest uncus, sed inani debilis ore  
 Marcet, et obtuso jacet exarmata veneno.  
 Tunc age, vicinae, circumspice, tempora brumae,  
 Qua ratione geras. aperit cum vinea sepes,  
 Et portat lectas securus vinitor uvas,  
 Incipe falce nemus vivasque recidere frondes.

Tunc opus est teneras summatim stringere virgas,  
 Tum debes servare comas, dum permanet humor, 100  
 Dum viret, et tremulas non excutit Africus umbras.  
 Has tibi conveniet tepidis foenilibus olim  
 Promere, cum pecudes extremus clauserit annus.  
 Sic tibi nitendum est. labor hoc in tempore noster,  
 Gnavaque sedulitas venit, et pastoris virtus.  
 Nec pigeat ramos siccis miscere recentes  
 Et sucos adhibere novos. ne torrida nimbis  
 Instet hiems, nimioque gelu, nivibusque coactis,  
 Incurvare velit nemus, et constringere frondes.  
 Tu tamen aut leves hederas, aut molle salicium 110  
 Valle preme gelida. sitis est pensanda tuorum,  
 Canthe, gregum viridante cibo. nihil aridus illis,  
 Ingenti positus quamvis strue, prosit acervus,  
 Virgea si desint liquido turgentia succo,  
 Et quibus est aliquid plenae vitale medullae.  
 Praecipue gelidum stipulis et fronde caduca  
 Sterne solum, ne forte rigor penetrabile corpus  
 Urat, et interno vastet pecuaria morbo.  
 Plura quidem monuisse velim: nam plura supersunt.  
 Sed jam sera dies cadit, et jam, sole fugato, 120  
 Frigidus aestas impellit noctifer horas.



## E C L O G A VI.

## L I T I G I U M.

ASTILUS, LYCIDAS, MNASYLUS.

**S**erus ades, Lycida: modo Nyctilus et puer Alcon

Certavere sub his alterno carmine ramis,  
Judice me, sed non sine pignore. Nyctilus hoedos

Juncta matre dedit: catulum dedit ille, leaenae

Juravitque genus: sed sustulit omnia victor.

**LYC.** Nyctilon ut cantu rudis exsuperaverit Alcon,

Astile, credibile est? ut vincat acanthida cornix,

Vocalem superet si dirus aedona bubo.

**AS.** Te potiar, Petale, qua nunc ego maceror una,

Si magis aut docili calamorum Nyctilus arte,

10

Aut cantu magis est, quam vultu, proximus illi.

**LYC.** Jam nunc decipior, te judice pallidus alter

Venit, et hirsuta spinosior histrice barba;

Candidus alter erat, levique decentior ovo,

Et ridens oculis, crinemque simillimus auro,

Qui dici posset, si non cantaret, Apollo.

**AS.** O Lycida, si quis tibi carminis usus adesset,

Tu quoque laudatum posses Alcona probare.

**LYC.** Vis igitur, quoniam nec nobis, improbe, par es,

Ipse tuos judex calamos committere nostros?

20

Vis conferre manus? veniat licet arbiter Alcon.

**AS.** Vincere tu quemquam? vel te certamine quisquam

Dignetur, qui vix stillantes, aride, voces

Rumpis, et expellis male singultantia verba?

**LYC.** Fingas plura licet. nec enim potes, improbe, vera

Exprobrare mihi, sicut tibi multa Lycotas.

Sed quid opus vana consumere tempora lite?

Ecce venit Mnasyllus: erit (nisi forte recusas)

Arbiter. insta nunc non credulus, improbe, verbis.

As. Malueram, fateor, vel praedam nactus abire,

30

Quam tibi certanti partem committere vocis:

Nec tamen hoc impune feres. en adspicis illum,

Candida qui medius cubat inter lilia, cervum?

Quamvis hunc Petale mea diligat, accipe victor.

Scit frenos, scit ferre jugum, sequiturque vocantem

Credulus, et mensae non improba porrigit ora.

Adspicis ut fruticat late caput? utque sub ipsis

Cornibus, et tereti lucent redimicula collo?

Adspicis ut niveo frons irretita capistro

Lucet, et, a dorso quae totam circuit alvum,

40

Alternat vitreas lateralis cingula bullas?

Cornua subtiles, ramosaque tempora molles

Implicuere rosae, rutiloque monilia torque

Extrema cervice natant: ubi pendulus apri

Dens sedet, et nivea distinguit pectora luna.

Hunc ego, qualemcumque vides in valle, paciscor:

Pendere, dum sciat hic se non sine pignore vinci.

Lyc. Terreri, Mnasyll, suo me munere credit:

Adspice, quam timeam. genus est (ut scitis) equarum

Non jugale mihi, quarum de sanguine ponam

50

Velocem Petason, qui gramina, matre relicta,

Nunc primum teneris libavit dentibus. illi

Pes levis, adductum latus, excelsissima cervix,

Terga sedent, micat acre caput, sine pondere cervix,

Et tornata brevi substringitur ungula cornu,

Ungula, quae viridi sic exsultavit in arvo,

Tangeret ut fragiles, sed non curvaret, aristas:

Hunc dare, si vincar, silvestria numina juro.

Mn. Et vacat, et vestros cantus audire juvabit.

Judice me sane contendite, si libet: istic

60

Protinus ecce torum fecere sub ilice Musae.

Sed, ne vicini nobis sonus obstrepat amnis,  
 Gramina linquamus, ripamque volubilis undae.  
 Namque sub exeso raucum mihi pumice lymphae  
 Respondent, et obest arguti glareae rivi.  
 As. Si placet, antra magis vicinaque saxa petamus,  
 Saxa, quibus viridis stillanti vellere muscus  
 Dependet, scopulisque cavum sinuantibus arcum  
 Imminet, exesa veluti testudine, concha.  
 MN. Venimus, et tacito sonitum tutabimur antro. 70  
 Seu residere libet, dabit ecce sedilia tophus:  
 Ponere seu cubitum, melior viret herba tapetis.  
 Nunc mihi seposita reddantur carmina lite:  
 Nam vicibus teneros malim cantetis amores:  
 Astile tu Petalen, Lycida tu Phyllida lauda.  
 LYC. Tu modo nos illis jam nunc, Mnasyte, precamur,  
 Auribus excipias, quibus hunc et Acanthida nuper  
 Diceris in silva iudex audisse Thalea.  
 As. Non equidem possum, cum provocet iste, tacere.  
 Rumpor enim merito: nihil hic nisi jurgia quaerit. 80  
 Audiatur, aut dicat, quoniam cupit. hoc mihi certe  
 Dulce satis fuerit, Lycidan spectare trementem,  
 Dum te stante palam sua crimina pallidus audit.  
 LYC. Me, puto, vicinus Stimicon, me proximus Aegon  
 Hos inter frutices tacite risere volentem  
 Oscula cum tenero simulare virilia Mopso.  
 As. Fortior ô utinam nondum Mnasytus adesset!  
 Efficerem, ne te quisquam tibi turpior esset.  
 MN. Quid furitis? quae vos insania tendere iussit?  
 Si vicibus certare placet? sed non ego vobis 90  
 Arbiter: hoc alius possit discernere iudex.  
 Et venit ecce Mycon, venit et vicinus Iolas:  
 Litibus hi vestris potuerunt imponere finem.

## E C L O G A VII.

## T E M P L U M.

## LYCOTAS, CORYDON.

**L**entus ab urbe venis, Corydon : vigesima certe  
Nox fuit, ut nostrae cupiunt te cernere silvae,  
Et tua moerentes exspectant júbila tauri.

**COR.** O piger, et duro jam durior axe Lycota,  
Qui veteres fagos, nova quam spectacula, mavis  
Cernere, quae patula juvenis Deus edit arena.

**LYC.** Mirabar, quae causâ foret tibi tanta morandi,  
Cur tua cessaret taciturnis fistula silvis,

Et solus Stimicon caneret pallente corymbo ;  
Quem sine te moesti tenero donavimus hoedo. 10

Nam, dum lentus abes, lustravit ovilia Thyrsis.  
Jussit et arguta juvenes certare cicuta.

**COR.** Scilicet invisus Stimicon, et praemia dives  
Auferat, accepto non solum gaudeat hoedo,  
Verum tota ferat, quae lustrat ovilia Thyrsis :

Non tamen aequabit mea gaudia : nec mihi, si quis  
Omnia Lucanae donet pecuaria silvae,

Grata magis fuerint, quam quae spectamus in urbe.

**LYC.** Dic age, dic Corydon, nec nostras invidus aures  
Despice : non aliter certe mihi dulce loquere, 20

Quam certare soles, quoties ad sacra vocatur  
Aut secunda Pales, aut pastoralis Apollo.

**COR.** Vidimus in coelum trabibus spectacula textis  
Surgere, Tarpejum prope despectantia culmen,  
Immensosque gradus, et clivos lene jacentes.

Venimus ad sedes, ubi pullâ sordida veste

Inter femineas spectabat turba cathedras.  
 Nam quaecumque patent sub aperto libera coelo,  
 Aut eques, aut nivei loca densa fere tribuni.  
 Qualiter haec patulum contendit vallis in orbem, 30  
 Et sinuata latus, resupinis undique silvis,  
 Inter continuos curvatur concava montes:  
 Sic tibi planitiem curvae sinus ambit arenae,  
 Et geminis medium se molibus adligat ovum.  
 Quid tibi nunc referam, quae vix suffecimus ipsi  
 Per partes spectare suas? sic undique fulgor  
 Percussit. stabam defixus, et ore patenti,  
 Cunctaque mirabar, nec dum bona singula noram.  
 Tum mihi, dum senior lateri qui forte sinistro  
 Junctus erat, quid te stupefactum, rustice, dixit, 40  
 Ad tantas miraris opes? qui nescius auri,  
 Sordida tecta, casas, et sola mapalia nosti.  
 En ego tam tremulus, tam vertice canus, et ista  
 Factus in urbe senex, stupeo tamen omnia: certe  
 Vilia sunt nobis, quaecumque prioribus annis  
 Vidimus, et sordet, quidquid spectavimus olim.  
 Balteus en gemmis, en illita porticus auro  
 Certatim radiant. nec non, ubi finis arenae  
 Proxima marmoreo peragit spectacula muro:  
 Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis, 50  
 Et coit in rutilum, tereti qua lubricus axe  
 Impositos subita vertigine falleret ungues,  
 Excuteretque feras. auro quoque torta refulgent  
 Retia, quae totis in arenam dentibus exstant,  
 Dentibus aequatis: et erat (mihi crede, Lycota,  
 Si qua fides) nostro dens longior omnis aratro.  
 Ordine quid referam? vidi genus omne ferarum,  
 Hic niveos lepores, et non sine cornibus apros,  
 Manticoram silvis etiam quibus editur, Alcen  
 Vidimus, et tauros, quibus aut cervice levata 60  
 Deformis scapulis torus eminent, aut quibus hirtae

Jactantur per colla jubae, quibus aspera mento  
Barba jacet, tremulisque rigent palearia setis.

Non solum nobis silvestria cernere monstra

Contigit: aequoreos ego cum certantibus urfis

Spectavi vitulos, et equorum nomine dignum,

Sed deforme pecus, quod in illo nascitur amni,

Qui fata riparum venientibus irrigat undis.

Ah trepidi quoties nos descendentis arenae

Vidimus in partes, ruptaque voragine terrae

Emerfisse feras; et eisdem saepe latebris

Aurea cum croceo creverunt arbuta libro.

LYC. O felix Corydon, quem non tremebunda senectus

Impedit? ô felix, quod in hac tibi secula primos,

Indulgente deo, demittere contigit annos!

Nunc tibi si propius venerandum cernere numen

Sors dedit, et praesens vultumque habitumque notasti;

Dic age, dic, Corydon, quae sit modo forma deorum.

COR. O utinam nobis non rustica vestis inesset!

Vidissem propius mea numina: sed mihi sordes,

Pullaque paupertas, et adunco fibula morsu

Obsuerunt. utcumque tamen conspeximus ipsum

Longius, ac, nisi me decepit visus, in uno

Et Martis vultus et Apollinis esse putavi.

CLAUDII RUTILII  
NUMATIANI GALLI V. C.

PRAEFECTI URBIS, TRIBUNI MILITUM,  
PRAEFECTI PRAETORIO,

I T E R,

AD VENERIUM RUFIIUM.

LIBER PRIMUS.

\* \* \* \*

**V**Elocem potius reditum mirabere, lector,  
 Tam cito Romuleis posse carere bonis.  
 Quid longum toto Romam venerantibus aevo?  
 Nil umquam longum est, quod sine fine placet.  
 O quantum, et quoties, possem numerare beatos,  
 Nasci felici qui meruere solo.  
 Qui, Romanorum procerum generosa propago,  
 Ingenitum cumulant urbis honore decus.  
 Semina virtutum demissa, et tradita coelo,  
 Non potuere aliis dignius esse locis,  
 Felices etiam, qui proxima munera primis  
 Sortiti, Latias obtinere domos.  
 Religiosa patet peregrinae curia laudi,  
 Nec putat externos, quos decet esse suos.  
 Ordinis imperio, collegarumque fruuntur,  
 Et partem Genii, quem venerantur, habent.  
 Quale per aetherios mundani verticis axes  
 Connubium summi credimus esse Dei.

10

At mea dilectis fortuna revellitur oris,  
 Indigenamque suum Gallica rura vocant. 20  
 Illa quidem longis nimium deformia bellis:  
 Sed quam grata minus, tam miseranda magis.  
 Securos levius crimen contemnere cives,  
 Privatam repetunt publica damna fidem.  
 Praesentes lacrimas tectis debemus avitis,  
 Prodest admonitus saepe dolore labor.  
 Nec fas ulterius longas nescire ruinas,  
 Quas mora suspensae multiplicavit opis.  
 Jam tempus, laceris post longa incendia fundis,  
 Vel pastorales aedificare casas. 30  
 Ipsi quin etiam fontes, si mittere vocem,  
 Ipsaque si possent arbute nostra loqui,  
 Cessantem justis poterant urguere querelis,  
 Et desideriiis addere vela meis.  
 Jamjam laxatis carae complexibus urbis  
 Vincimur, et serum vix toleramus iter.  
 Electum pelagus, quoniam terrena viarum  
 Plana madent fluviis, cautibus alta rigent.  
 Postquam Tuscus ager, postquamque Aurelius agger  
 Perpeffus Geticas ense vel igne manus, 40  
 Non silvas domibus, non flumina ponte coërcet,  
 Incerto satius credere vela mari.  
 Crebra relinquendis infigimus oscula portis,  
 Inviti superant limina sacra pedes.  
 Oramus veniam lacrimis, et laude litamus,  
 In quantum fletus currere verba sinit.  
 Exaudi, Regina tui pulcherrima mundi,  
 Inter sidereos Roma recepta polos.  
 Exaudi genetrix hominum, genetrixque Deorum:  
 Non procul à coelo per tua templa sumus. 50  
 Te canimus, semperque, sinent dum fata, canemus,  
 Sospes nemo potest immemor esse tui.  
 Obruerint citius scelerata oblivia solem,



Quam tuus ex nostro corde recedat honos,  
 Nam Solis radiis aequalia munera tendis,  
 Qua circumfusus fluctuat Oceanus.  
 Volvitur ipse tibi, qui continet omnia, Phoebus,  
 Eque tuis ortos, in tua condit, equos.

Te non flammigeris Libye tardavit arenis,  
 Non armata suo repulit Urfa gelu.

60

Quantum vitales natura tetendit in axes,  
 Tantum virtuti pervia terra tuae.

Fecisti patriam diversis gentibus unam,  
 Profuit injustis, te dominante, capi:  
 Dumque offers victis proprii consortia juris,  
 Urbem fecisti, quod prius urbis erat.

Auctorem generis Venerem, Martemque fatemur,  
 Aeneadum matrem, Romulidumque patrem.

Mitigat armatas victrix clementia vires.

Convenit in mores numen utrumque tuos.

70

Hinc tibi certandi bona, parcendique voluptas:

Quos timuit, superat: quos superavit, amat.

Inventrix oleae colitur, vinique repertor,

Et qui primus humo pressit aratra puer.

Aras Paeoniam meruit Medicina per artem,

Factus et Alcides nobilitate Deus.

Tu quoque legiferis mundum complexa triumphis,

Foedere communi vivere cuncta facis.

Te Dea, te celebrat Romanus ubique recessus,

Pacificoque gerit libera colla iugo.

80

Omnia perpetuos quae servant sidera motus,

Nullum viderunt pulchrius imperium.

Quid simile? Assyriis connectere contigit arma,

Medi finitimos quum domuere suos:

Magni Parthorum reges, Macetumque Tyranni,

Mutua per varias jura dedere vices.

Nec tibi nascenti plures animaeque manusque,

Sed plus consilii, iudiciiue fuit.

Justis bellorum caussis, nec pace superba,  
 Nobilis ad summas gloria venit opes. 90  
 Quod regnas, minus est, quam quod regnare mereris,  
 Excedis factis grandia fata tuis.  
 Percensere labor densis decora alta tropaeis,  
 Ut si quis stellas pernumerare velit.  
 Confunduntque vagos delubra micantia visus :  
 Ipsos crediderim sic habitare Deos.  
 Quid loquar aërio pendentes fornice rivos,  
 Qua vix imbriferas tolleret Iris aquas?  
 Hos potius dicas crevisse in sidera montes,  
 Tale gigantaem Graecia laudat opus. 100  
 Intercepta tuis conduntur flumina muris,  
 Consumunt totos celsa lavacra lacus.  
 Nec minus, et propriis celebrantur roscida venis,  
 Totaque nativo moenia fonte sonant.  
 Erigidus aestivas hinc temperat halitus auras,  
 Innocuamque levat purior unda sitim.  
 Nempe tibi subitus calidarum gurges aquarum  
 Rupit Tarpeias, hoste premente, vias.  
 Si foret aeternus, casum fortasse putarem :  
 Auxilio fluxit, qui rediturus erat. 110  
 Quid loquar inclusas inter laquearia silvas ?  
 Vernula qua vario carmine ludit avis.  
 Vere tuo numquam mulceri desinit annus,  
 Deliciasque tuas victa tuctur hiems.  
 Erige crinales lauros, seniumque sacрати  
 Verticis in virides, Roma, recinge comas.  
 Aurea turrigero radient diademata cono,  
 Perpetuosque ignes aureus umbo vomat.  
 Abscondat tristem deleta injuria casum,  
 Contemptus solidet vulnera clausa dolor. 120  
 Adversis solemne tuis sperare secunda :  
 Exemplo coeli ditia damna subis.  
 Astrorum flammae renovant occasibus ortus,

Lunam finire cernis, ut incipiat.

Victoris Brenni non distulit Allia poenam,  
Samnis servitio foedera saeva luit.

Post multas Pyrrhum clades superata fugasti.  
Flevit successus Annibal ipse suos.

Quae mergi nequeunt, nixu majore resurgunt,  
Exsiliuntque imis altius acta vadis.

130

Utque novas vires fax inclinata resumit,  
Clarius ex humili forte superna petis.

Porrige victuras Romana in secula leges,  
Solaque fatales non vereare colus.

Quamvis sedecies denis, et mille peractis,  
Annus praeterea jam tibi nonus eat.

Quae restant nullis obnoxia tempora metis,  
Dum stabunt terrae, dum polus astra feret.

Illud te reparat, quod cetera regna resolvit,  
Ordo renascendi est crescere posse malis.

140

Ergo age, sacrilegae tandem cadat hostia gentis,  
Submittant trepidi perfida colla Getae.

Ditia pacatae dent vestigalia terrae,  
Impleat Augustos barbara praeda sinus.

Aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet,  
Altricemque suam fertilis orbis alat.

Quin et fecundas tibi conferat Africa messes,  
Sole suo dives, sed magis imbre tuo.

Interea Latiis consurgant horrea sulcis,  
Pinguiaque Hesperio nectare praela fluant.

150

Ipse triumphali redimitus arundine Thybris,  
Romuleis famulas classibus aptet aquas.

Atque opulenta tibi placidis commercia ripis  
Devehat hinc ruris, subvehat inde maris.

Pande precor gemino placatum Castore pontum :  
Temperet aequoream dux Cytherea viam.

Si non displicui, regerem quum jura Quirini,  
Si colui sanctos, consuluique patres.

Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum,

Non sit praefecti gloria, sed populi.

160

Sive datur patriis vitam componere terris,

Sive oculis umquam restituere meis,

Fortunatus agam, votoque beator omni,

Semper digueris si meminisse mei.

His dictis iter adripimus, comitantur amici:

Non possum sicca dicere luce Vale.

Jamque aliis Romam redeuntibus, haeret eunti

Rufius, Albini gloria viva patris,

Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen,

Et reges Rutulos, teste Marone, refert.

170

Hujus facundae commissa palatia linguae,

Primaevus meruit principis ore loqui.

Rexerat ante puer populos pro consule Poenos.

Aequalis Tyriis terror, amorque fuit.

Sedula promisit summos imitatio fasces,

Si fas est meritis fidere, consul erit.

Invitum tristis tandem remeare coëgi,

Corpore diviso mens tamen una fuit.

Tum demum ad naves gradior, qua fronte bicorni,

Dividuus Thybris dexteriora secat.

180

Laevus inaccessis fluviis vitatur arenis:

Hospitis Aeneae gloria sola manet.

Et jam nocturnis spatium laxaverat horis

Phoebus chelarum pallidior polo;

Cunctamur tentare salum, portuque sedemus,

Nec piget oppositis otia ferre moris:

Occidua infido dum saevit gurgite Plias,

Dumque procellosi temporis ira cadit,

Respectare juvat vicinam saepius urbem,

Et montes visu deficiente sequi.

190

Quaque duces oculi grata regione fruuntur,

Dum se, quod cupiunt, cernere posse putant.

Nec locus ille mihi cognoscitur indice fumo,

Qui dominas arces, et caput orbis habet.  
 Quamquam signa levis fumi commendat Homerus,  
 Dilecto quoties surgit in astra solo.  
 Sed coeli plaga candidior, tractusque serenus  
 Signat septenis culmina clara jugis.  
 Illic perpetui soles, atque ipse videtur,  
 Quem sibi Roma facit, purior esse dies. 200  
 Saepius attonitae resonant Circensibus aures.  
 Nuntiat accensus plena theatra favor.  
 Pulsato notae redduntur ab aethere voces,  
 Vel quia perveniunt, vel quia fingit amor,  
 Explorata fides pelagi ter quinque diebus,  
 Dum melior lunae fideret aura novae.  
 Tum discessurus studiis, urbique remitto  
 Palladium, generis spemque decusque mei.  
 Facundus juvenis, Gallorum nuper ab arvis  
 Missus Romani discere jura fori: 210  
 Ille meae secum dulcissima vincula curae,  
 Filius adfectu, stirpe propinquus, habet.  
 Cujus Aremoricas pater Exuperantius oras  
 Nunc postliminium pacis amare docet.  
 Leges restituit, libertatemque reducit,  
 Et servos famulis non finit esse suis.  
 Solvimus aurorae dubio, quo tempore primum  
 Agnosci patitur redditus arva color.  
 Progredimur parvis per litora proxima cymbis,  
 Quarum perfugio crebra pateret humus. 220  
 Aestivos penetrent oneraria carbasâ fluctus,  
 Tutior autumnus mobilitate fugae.  
 Alsia praelegitur tellus: Pyrgique recedunt,  
 Nunc villae grandes, oppida parva prius.  
 Jam Caeretanos demonstrat navita fines,  
 Aevo deposuit nomen Agylla vetus.  
 Stringimus absumentum fluctuque et tempore castrum,  
 Index semirutae porta vetusta loci.

Præsidet exigui forinatus imagine saxi,

Qui pastorali nomina fronte gerit.

230

Multa licet priscum nomen deleverit aetas,

Hoc Inui castrum fama fuisse putat.

Seu Pan Tyrrenis mutavit Maenala silvis,

Sive sinus patrios incola Faunus init.

Dum renovat largo mortalia semina foetu,

Fingitur in Venerem pronior esse deus.

Ad Centumcellas forti defleximus Austro,

Tranquilla puppes in statione sedent.

Molibus aequoreum concluditur amphitheatrum,

Angustosque aditus insula facta tegit.

240

Attollit geminas turres, bifidoque meatu,

Faucibus artatis pandit utrumque latus.

Nec posuisse satis laxo navalia portu,

Ne vaga vel tutas ventilet aura rates.

Interior medias sinus invitatus in aedes,

Instabilem fixis aëra nescit aquis.

Qualis in Euboicis captiva natatibus unda

Sustinet alterno brachia lenta sono.

Nosse juvat Tauri dictas de nomine thermas,

Nec mora difficilis milibus ire tribus.

250

Non illic gustu latices vitiantur amaro,

Lymphaque fumifico sulphure tincta calet.

Purus odor, mollisque sapor dubitare lavantem

Cogit, qua melius parte petantur aquae.

Crede si dignum famae, flagrantia taurus

Investigato fonte lavaera dedit.

Ut solet excussis pugnam praeludere glebis,

Stipite cum rigido cornua prona terit.

Sive Deus faciem mentitus et ora juvenci,

Noluit ardentis dona latere soli.

260

Qualis Agenorei rapturus gaudia furti

Per freta, virgineum sollicitavit onus.

Ardua non solos deceant miracula Graios,

Auctorem pecudem fons Heliconis habet.  
 Elicitas simili credamus origine lymphas,  
 Musarum latices ungula fodit equi.  
 Haec quoque Pieriis spiracula comparat antris,  
 Carmine Messalae nobilitatus ager.  
 Intransitque capit, discedentemque moratur  
 Postibus adfixum dulce poema sacris. 270  
 Hic est, qui primo seriem de consule ducit,  
 Usque ad Publicolas si redeamus avos.  
 Hic et praefecti nutu praetoria rexit:  
 Sed menti et linguae gloria major inest.  
 Hic docuit, qualem poscat facundia sedem,  
 Ut bonus esse velit, quisque disertus erit.  
 Roscida puniceo fulsere crepuscula coelo:  
 Pandimus obliquo lintea flexa sinu.  
 Paullisper litus fugimus Minione vadisum,  
 Suspecto trepidant ostia parva solo. 280  
 Inde Graviscaurum fastigia rara videmus,  
 Quas premit aestivae saepe paludis odor.  
 Sed nemorosa viret densis vicinia lucis,  
 Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.  
 Cernimus antiquas nullo custode ruinas,  
 Et desolatae moenia foeda Cosae.  
 Ridiculam cladis pudet inter seria causam  
 Promere, sed risum dissimulare piget.  
 Dicuntur cives, quondam migrare coacti,  
 Muribus infestos deseruisse lares. 290  
 Credere maluerim Pygmaeae damna cohortis,  
 Et conjuratas in sua bella grues.  
 Haud procul hinc petitur signatus ab Hercule portus  
 Vergentem sequitur mollior aura diem.  
 Inter castrorum vestigia sermo retexit  
 Sardoam, Lepido praecipitante, fugam.  
 Litore namque Cosae cognatos depulit hostes,  
 Virtutem Catuli Roma secuta ducis.

Ille tamen Lepidus pejor, civilibus armis  
 Qui gessit sociis impia bella tribus. 300  
 Qui libertatem, Mutinensi Marte receptam,  
 Obruit auxiliis, urbe pavente, novis.  
 Infidias paci moliri tertius ausus,  
 Tristibus exceptit congrua fata reis.  
 Quartus Caesareo dum vult irrepere regno,  
 Incesti poenam solvit adulterii,  
 Nunc quoque: sed melius de nostris fama queretur,  
 Judex posteritas semina dira notet.  
 Nominibus certos credam decurrere mores,  
 Moribus an potius nomina certa dari? 310  
 Quidquid id est, mirus Latiis annalibus ordo,  
 Quod Lepidum toties recidit ense malum.  
 Nec dum decessis pelago permittimur umbris,  
 Natus vicino vortice ventus adest.  
 Tenditur in medias mons Argentarius undas,  
 Ancipitique jugo caerulea curva premit.  
 Transversos colles bis ternis millibus artat,  
 Circuitu ponti ter duodena patet.  
 Qualis per geminos fluctus Ephyreus Isthmos  
 Ionias bimari litore findit aquas. 320  
 Vix circumvehimur sparsae dispendia rupis,  
 Nec sinuosa gravi cura labore caret.  
 Mutantur toties vario spiramina flexu:  
 Quae modo profuerant vela, repente nocent.  
 Eminus Igilii silvosa cacumina miror,  
 Quam fraudare nefas laudis honore suae.  
 Haec proprios nuper tutata est insula saltus,  
 Sive loci ingenio, seu domini genio.  
 Gurgite quum modico victricibus oblitit armis,  
 Tamquam longinquo dissociata mari: 330  
 Haec multos lacera suscepit ab urbe fugatos,  
 Hic fessis posito certa timore salus.  
 Plurima terreno populaverat aequora bello,



Contra naturam classe timendus, eques.

Unum, mira fides, vario discrimine portum,

Tam prope Romanis, tam procul esse Getis.

Tangimus Umbronem : non est ignobile flumen,

Quod toto trepidas excipit ore rates.

Tam facilis pronis semper patet alveus undis,

In pontum quoties saeva procella ruit.

340

Hic ego tranquillae volui succedere ripae,

Sed nautas avidos longius ire sequor.

Sic festinantem ventusque, diesque reliquit,

Nec proferre pedem, nec revocare licet.

Litorea noctis requiem metamur arena,

Dat vespertinos myrtea silva focos.

Parvula subjectis facimus tentoria remis,

Transversus subito culmine contus erat.

Lux aderat, tonsis progressi stare videmur :

Sed cursum prorae terra relicta probat.

350

Occurrit chalybum memorabilis Ilva metallis,

Qua nihil uberius Norica gleba tulit.

Non Biturix largo potior strictura camino,

Nec quae Sardoo cespitate massa fluit.

Plus confert populis ferri fecunda creatrix,

Quam Tartessiaci glareas fulva Tagi.

Materies vitiis aurum letale parandis,

Auri caecus amor ducit in omne nefas.

Aurea legitimas expugnant munera taedas,

Virgineosque sinus aureus imber emit.

360

Auro victa fides munitas decipit urbes,

Auri flagitiis ambitus ipse furit.

At contra ferro squalentia rura coluntur,

Ferro vivendi prima reperta via est.

Secula semideum, ferrati nescia Martis,

Ferro crudeles sustinere feras.

Humanis manibus non sufficit usus inermis,

Si non sint aliae, ferrea tela, manus.

His mecum pigri solabar taedia venti,

Dum resonat variis vile celeusma modis:

370

Laxatum colibet vicina Faleria cursum,

Quamquam vix medium Phoebus haberet iter.

Et tum forte hilares per compita rustica pagi

Mulcebant sacris pectora fessa jocis.

Illo qui, pe die tandem renovatus Osyris

Excitat in fruges germina laeta novas.

Egressi villam petimus, lucoque vagamur.

Stagna placent septo delitiosa vado;

Ludere lascivos inter vivaria pisces

Gurgitis inclusi laxior unda finit.

380

Sed male pensavit requiem stationis amoenae

Hospite conductor durior Antiphate.

Namque loci querulus curam Judaeus agebat;

Humanis animal dissociabile cibus.

Vexatos frutices, pulsatas imputat algas,

Damnaque libatae grandia clamat aquae.

Reddimus obscaenae convicia debita genti,

Quae genitale caput propudiosa metit:

Radix stultitiae, cui frigida sabbata cordi:

Sed cor frigidius religione sua est.

390

Septima quaeque dies turpi damnato veterno,

Tamquam lassati mollis imago Dei.

Cetera mendacis deliramenta catastae

Nec pueros omnes credere posse reor.

Atque utinam numquam Judaea subacta fuisset

Pompeii bellis, imperioque Titi.

Latius excisae pestis contagia serpunt,

Victoresque suos natio victa premit.

Adversus surgit Boreas, sed nos quoque remis

Surgere certamus, cum tegit astra dies.

400

Proxima securum referat Populonia litus,

Qua naturalem ducit in arva sinum.

Non illic positas extollit in aethera moles

Lumine nocturno conspiciendo Pharos.  
 Sed speculam validae rupis sortita vetustas,  
 Qua fluctus domitos arduus urguet apex.  
 Castellum geminos hominum fundavit in usus,  
 Praesidium terris, indiciumque fretis.  
 Adgnosci nequeunt aevi monumenta prioris,  
 Grandia consumpsit moenia tempus edax. 410  
 Sola manent interceptis vestigia muris:  
 Ruderibus latis tecta sepulta jacent.  
 Non indignemur, mortalia corpora solvi,  
 Cernimus exemplis oppida posse mori.  
 Laetior hic nostras crebrescit fama per aures,  
 Consilium Romam pene redire fuit.  
 Hic Praefecturam sacrae cognoscimus urbis  
 Delatam meritis, dulcis amice, tuis.  
 Optarem verum complecti carmine nomen,  
 Sed quosdam refugit regula dura pedes. 420  
 Cognomen versu, Veneri carissime Rufi,  
 Illo te dudum pagina nostra canit.  
 Festa dies, pridemque meos dignata penates,  
 Poste coronato vota secunda colat.  
 Exornent virides communia gaudia rami,  
 Provesta est animae portio magna meae.  
 Sic mihi, sic potius placeat geminata potestas,  
 Per quem malueram, rursus honore fruar.  
 Currere curamus velis, Aquilone reverso,  
 Quum primum roseo fulsit Eous equo. 430  
 Incipit obscuros ostendere Corsica montes:  
 . Nubiferumque caput concolor umbra levat.  
 Sic dubitanda solet gracili vanescere cornu,  
 Defessisque oculis Luna reperta latet.  
 Haec ponti brevitatis auxit mendacia famae,  
 Armentale ferunt quippe natasse pecus,  
 Tempore Cyrneas quo primum venit in oras,  
 Forte secuta vagum femina Corsu bovem.

Proceſſu pelagi jam ſe Capraria tollit,  
 Squalet lucifugis inſula plena viris. 440  
 Ipsi ſe monachos Graio cognomine dicunt,  
 Quod ſoli nullo vivere teſte volunt.  
 Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur :  
 Quiſquam eſt ſponte miſer, ne miſer eſſe queat ?  
 Quænam perverſi rabies tam ſtulta cerebri ?  
 Dum mala formides, nec bona poſſe pati.  
 Sive ſuas repetunt ex fato ergaſtula poenas,  
 Triftia ſeu nigro viſcera felle tument.  
 Sic nimiae bilis morbum adſignavit Homerus  
 Bellerophonteis ſollicitudinibus. 450  
 Nam juveni offenſo ſævi poſt tela doloris  
 Dicitur humanum diſplicuiſſe genus.  
 In Volaterranum, vero Vada nomine, tractum  
 Ingreſſus dubii tramitis alta lego.  
 Deſpectat proræ cuſtos, clavumque ſequentem  
 Dirigit, et puppim voce monente regit.  
 Incertæ gemina diſcriminat arbore fauces,  
 Deſixasque offert limes uterque ſudes.  
 Illis proceras mos eſt adnectere lauros,  
 Conſpicias ramis et fruticante coma : 460  
 Ut præbente algam denſi ſymplegade limi  
 Servet inoffenſas ſemita clara notas.  
 Illic me rapidus conſiſtere Corus adegit,  
 Qualis ſilvarum frangere luſtra ſolet.  
 Vix tuti domibus ſævos toleravimus imbres,  
 Albini patuit proxima villa mei.  
 Namque meus, quem Roma meo ſubjuxit honori,  
 Per quem, jura meæ continuata togæ,  
 Non exſpectatos penſavit laudibus annos,  
 Vitæ flore puer, ſed gravitate ſenex. 470  
 Mutua germanos junxit reverentia mores,  
 Et favor alternis crevit amicitiiis.  
 Prætulit ille meas, cum vincere poſſet, habenas :

Praedecessoris major amore fuit.

Subjectas villae vacat adspectare salinas :

Namque hoc censetur nomine salsa palus.

Qua mare terrenis declive canalibus intrat,

Multifidosque lacus parvula fossa rigat.

Ast ubi flagrantis admovit Sirius ignes,

Cum pallent herbae, cum sitit omnis ager,

480

Tum cataractarum claustris excluditur aequor,

Ut fixos latices horrida duret humus.

Concipiunt acrem nativa coagula Phoebum,

Et gravis aestivo crusta calore coit.

Haud aliter, quam cum glacie riget horridus Ister,

Grandiaque adstricto flumine plaustra vehit.

Rimetur solitus naturae expendere causas,

Inque pari dispar fomite quaerat opus.

Juncta fluenta gelu, conspecto Sole, liquefcunt,

Et rursus liquidae Sole gelantur aquae.

490

O quam saepe malis generatur origo bonorum!

Tempestas dulcem fecit amara moram.

Victorinus enim, nostrae pars maxima mentis,

Congressu explevit mutua vota suo.

Errantem Tuscis considerare compulit agris,

Et colere externos capta Tolosa lares,

Nec tantum duris nituit sapientia rebus,

Pectore non alio prosperiora tulit.

Conscius Oceanus virtutum, conscia Thule,

Et quicumque ferox arva Britannus arat.

500

Qua praefectorum vicibus frenata potestas

Perpetuum magni foenus amoris habet.

Extremum pars illa quidem discessit in orbem,

Sed tamquam medio rector in orbe fuit.

Plus palmae est, illos inter voluisse placere,

Inter quos minor est displicuisse pudor.

Illustris nuper sacrae comes additus aulae,

Contempsit summos ruris amore gradus.

Hunc ego complexus, ventorum adverſa feſelli,  
 Dum videor patriae jam mihi parte frui. 510  
 Lutea protulerat ſudos aurora jugales :  
 Antennas tendi litoris aura jubet.  
 Inconcuſſa vehit tranquillus a pluſtria ſtatus,  
 Mollia ſecuro vela rudente tremunt.  
 Adſurgit ponti medio circumſlua Gorgon,  
 Inter Piſanum Cyrniacumque latus.  
 Adverſus ſcopulos, damni monumenta recentis,  
 Perditus hic vivo funere civis erat.  
 Noſter enim nuper juvenis, majoribus amplis,  
 Nec cenſu inferior, conjugiove minor, 520  
 Impulſus furiis homines, divosque reliquit,  
 Et turpem latebram credulus exful agit.  
 Infelix putat illuvie coeleſtia paſci,  
 Seque premit lacſis ſaeſior ipſe Deis.  
 Num, rogo, deterior Circaeis, ſeſta, venenis?  
 Tunc mutabantur corpora ; nunc animi.  
 Inde Triturritam petimus, ſic villa vocatur,  
 Quae latet expulſis inſula paene fretis.  
 Namque manu junctis procedit in aequora ſaxis,  
 Quique domum poſuit, condidit ante ſolum. 530  
 Contiguum ſtupui portum, quem fama frequentat  
 Piſarum emporio divitiisſque maris.  
 Mira loci facies, pelago pulſatur aperto,  
 Inque omnes ventos litora nuda patent.  
 Non ullus tegitur per brachia tuta reſſus,  
 Aeolias poſſit qui prohibere minas.  
 Sed procera ſuo praetexitur alga profundo,  
 Molliter offenſae non nocitura rati :  
 Et tamen inſanas cedendo interligat undas,  
 Nec ſinit ex alto grande volumen agi. 540  
 Tempora navigii clarus reparaverat Eurus,  
 Sed mihi Protadium viſere cura fuit.  
 Quem qui forte velit certis cognoſcere ſignis,

Virtutis specimen corde vidente petat.  
 Nec magis efficiet similem pictura colorem,  
 Quam quae de meritis mixta figura venit.  
 Adspicienda procul certo prudentia vultu,  
 Formaue justitiae suspicienda micat.  
 Sit fortasse minus, si laudet Gallia civem,  
 Testis Roma sui praesulis esse potest. 550  
 Substituit patriis mediocres Umbria sedes,  
 Virtus fortunam fecit utramque parem.  
 Mens invicta viri pro magnis parva tuetur,  
 Pro parvis animo magna fuere suo.  
 Exiguus rerum rectores cespes habebat,  
 Et Cincinnatos jugera pauca dabant.  
 Haec etiam nobis non inferiora feruntur,  
 Vomere Serrani, Fabriciique foco.  
 Puppibus ergo meis fida in statione locatis,  
 Ipse vehor Pisas, qua solet ire pedes. 560  
 Praebet equos, offert etiam carpenta Tribunus,  
 Ex commilitio carus et ipse mihi,  
 Officiis regerem cum regia tecta magister :  
 Armigerasque Pii principis excubias.  
 Alpheae veterem contemplor origiuis urbem,  
 Quam cingunt geminis Arnus et Aufer aquis.  
 Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt :  
 Intratur modico frons patefacta solo.  
 Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,  
 Et pontum solus scilicet Arnus adit. 570  
 Ante diu quam Trojugenas Fortuna penates  
 Laurentinorum regibus infereret,  
 Elide deductas suscepit Etruria Pisas,  
 Nominis indicio testificata genus.  
 Hic oblata mihi sancti genitoris imago,  
 Pisani proprio quam posuere foro.  
 Laudibus amissi cogor lacrimare parentis,  
 Fluxerunt madidis gaudia moesta genis.

Namque pater quondam Tyrrhenis praefuit arvis,  
 Fascibus et senis credita jura dedit. 580  
 Narrabat, memini, multos emensus honores,  
 Tuscorum regimen plus placuisse sibi.  
 Nam neque opum curam, quamvis sit magna, sacrarum,  
 Nec jus quaesturae grata fuisse magis.  
 Ipsam, si fas est, postponere praefecturam,  
 Pronior in Tuscos non dubitabat amor:  
 Nec fallebatur tam carus et ipse probatis,  
 Aeternas grates mutua cura canit.  
 Constantemque sibi pariter, mitemque fuisse  
 Insinuant natis, qui meminere, senes. 590  
 Ipsum me gradibus non degenerasse parentis  
 Gaudent, et duplici sedulitate fovent.  
 Haec eadem quum Flaminiae regionibus irem,  
 Splendoris patrii saepe reperta fides.  
 Famam Lachanii veneratur numinis instar  
 Inter terrigenas Lydia tota suos.  
 Grata bonis priscos retinet provincia mores,  
 Dignaque rectores semper habere bonos.  
 Qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,  
 Per Corythi populos arva beata regit. 600  
 Nec mirum, magni si redditus indole nati,  
 Felix tam simili posteritate pater.  
 Hujus vulnificis, satyra ludente, Camenis  
 Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit.  
 Restituit veterem censoria lima pudorem:  
 Dumque malos carpit, praecipit esse bonos.  
 Non olim sacri justissimus arbiter auri  
 Circumsistentes repulit Harpyias?  
 Harpyias, quarum decerpitur unguibus orbis,  
 Quae pede glutineo, quod tetigere, trahunt. 610  
 Quae luscum faciunt Argum, quae Lyncea caecum:  
 Inter custodes publica furta volant.  
 Sed non Lucillum Briareia praeda fefellit,



Totque simul manibus restitit una manus.  
 Jamque Triturritam Pisaea ex urbe reversus  
 Aptabam nitido pendula vela Noto.  
 Cum subitis testus nimbis infordeat aether,  
 Sparserunt radios nubila rupta vagos.  
 Substitimus: quis enim sub tempestate maligna  
 Insanituris audeat ire fretis?

620

Otia vicinis terimus navalia silvis,  
 Sectandisque juvat membra movere feris.  
 Instrumenta parat venandi villicus hospes,  
 Atque olidum doctas nosse cubile canes.  
 Funditur insidiis, et rara fraude plagarum,  
 Terribilisque cadit fulmine dentis aper.  
 Quem Meleagraei vereantur adire lacerti,  
 Qui laxet nodos Amphitryoniadae.

Tum responsuros persultat buccina colles,  
 Fitque reportanti carmine praeda levis.

630

Interea madidis non desinit Africus alis  
 Continuos piceâ nube negare dies.

Jam matutinis Hyades occasibus udae,

Jam latet hiberne conditus imbre lepus:  
 Exiguum radiis, sed magnis fluctibus astrum,  
 Quo madidam nullus navita linquit humum.

Namque procelloso subjungitur Oarioni  
 Aestiferumque canem roscida praeda fugit.

Vidimus excitis pontum flavescere arenis,  
 Atque eructato vortice rura tegi.

640

Qualiter Oceanus mediis infunditur agris,  
 Destituenda vago cum premit arva salo.

Sive alio refluxus nostro colliditur orbe,  
 Sive corusca suis sidera pascit aquis.

## LIBER II.

**N**ondum longus erat, nec multa volumina passus,  
 Jure suo poterat longior esse liber.  
 Taedia continuo timuit cessura labori,  
 Sumere ne lector jure paveret opus.  
 Saepe cibus adfert serus fastidia finis.  
 Grator est modicis haustibus unda siti.  
 Intervalla viae fessis praestare videtur,  
 Qui notat inscriptus millia crebra lapis.  
 Partimur trepidum per opuscula bina ruborem,  
 Quem satius fuerat sustinuisse semel. 10  
 Tandem nimboſa maris obsidione solutis,  
 Pisano portu contigit alta sequi.  
 Adridet placidum radiis crispantibus aequor,  
 Et sulcata levi murmurat unda sono.  
 Incipiunt Apennini devexa videri;  
 Qua fremit aërio monte repulsa Thetis.  
 Italiam, rerum dominam, qui cingere visu,  
 Et totam pariter cernere mente velit;  
 Inveniet quernae similem procedere frondi,  
 Artatam laterum conveniente sinu. 20  
 Millia per longum decies centena teruntur,  
 A Ligurum terris ad freta Sicaniae.  
 In latum variis damnosa amfractibus intrat  
 Tyrrheni rabies, Adriaciſque ſalis.  
 Qua tamen est juncti maris angustissima tellus,  
 Triginta et centum millia sola patet.  
 Diversas medius mons obliquatur in undas,  
 Qua fert atque refert Phoebus uterque diem.  
 Urguet Dalmaticos Eoo vertice fluctus,

Caerulaque occiduis frangit Etrusca jugis. 30  
 Si factum certa mundum ratione fatemur,  
 Consiliumque Dei machina tanta fuit,  
 Excubiis Latii praetexuit Apenninum :  
 Claustraque montanis vix adeunda viis.  
 Invidiam timuit natura, parumque putavit  
 Arctois Alpes opposuisse minis,  
 Sicut vallavit multis vitalia membris,  
 Nec semel inclusit, quae pretiosa tulit.  
 Jam tum multiplici meruit munimine cingi,  
 Sollicitosque habuit Roma futura deos. 40  
 Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum,  
 Proditor arcani qui fuit imperii.  
 Romano generi dum nititur esse superstes,  
 Crudelis summis miscuit ima furor :  
 Dumque timet, quidquid se fecerat ipse timeri,  
 Immisit Latiae barbara tela neci.  
 Visceribus nudis armatum condidit hostem,  
 Illatae cladis liberiore dolo.  
 Ipsa satellitibus pellitis Roma patebat,  
 Et captiva prius, quam caperetur, erat. 50  
 Nec tantum Geticis grassatus proditor armis,  
 Ante Sibyllinae fata cremavit opis.  
 Odimus Althaeam consumti funere torris,  
 Nisaeum crimen flere putantur aves :  
 At Stilicho aeterni fatalia pignora regni ;  
 Et plenas voluit praecipitare colus.  
 Omnia Tartarei cessent tormenta Neronis,  
 Consumat Stygias tristior umbra faces.  
 Hic immortalem, mortalem perculit ille :  
 Hic mundi matrem perculit, ille suam. 60  
 Sed deverticulo fuimus fortasse loquaces,  
 Carmine proposito jam repetamus iter.  
 Advehimur celeri candentia moenia lapsu.  
 Nominis est auctor Sole corusca soror.

92      CLAUDII RUTILII &c.

Indigenis superat ridentia lilia saxis,

Et levi radiat picta nitore silex.

Dives marmoribus tellus, quae luce coloris

Provocat intactas luxuriosa nives.

*Multa desiderantur.*

Q. SERENUS SAMONICUS

DE

M E D I C I N A .

*VINDICIANUS, sive MARCELLUS, de Medicina.*

Q. RHEMNIUS FANNIUS PALAEMON,

*Sive PRISCIANUS,*

De ponderibus et mensuris.

ET

SULPITIAE SATYRA.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY  
1215 EAST 58TH STREET  
CHICAGO, ILL. 60637  
TEL: 773-936-3700  
WWW.CHICAGO.EDU

Q. SERENI SAMONICI

DE

M E D I C I N A,

PRAECEPTA SALUBERRIMA.

P R O O E M I U M.

**P**Hoebe salutiferum, quod pangimus, adfere carmen ;  
 Inventumque tuum prompto comitare favore.  
 Tuque potens artis, reduces qui tradere vitae  
 Nosti, atque in coelum manes revocare sepultos,  
 Qui colis Aegeas, qui Pergama, quique Epidaurum,  
 Qui quondam, placida tectus sub pelle draconis,  
 Tarpeias arces, atque inclyta templa petisti,  
 Depellens tetros praesenti numine morbos,  
 Huc ades, et quidquid cupido mihi saepe rogatus  
 Firmasti, cunctum teneris expone papyris. 10  
 Membrorum series certo deducta tenore  
 Ut stet, et adsimilis medicinae defluat ordo,  
 Principio celsa de corporis arce loquamur.

## CAPUT I.

## CAPITI MEDENDO.

**B**alsama si geminis instillans auribus addas,  
 Tum poteris alacrem capitis reparare vigorem.  
 Vel quae septenis censentur gramina nodis,  
 Utiliter neſtes, vel corno ex arbore fertum.  
 Puleiumve potens una super aure locabis,  
 Aut illud mixto recoquens clementer aceto,  
 Cauta nare trahes, seu visco lintea nexo 20  
 Induces fronti, seu tritae gramina menthae.  
 Spongia cum tepidis adnexa liquoribus imbris  
 Profuit, aut hederæ ex oleo decocta vetusto.  
 Profuit et cochleis frontem tractare minutis.  
 Si nocuit cerebro violentia solis aperto,  
 Saepe chelidonia ex acido perducta liquore  
 Sanavit, profunt et amica papavera somno,  
 Si prius in lento madefacta coquantur olivo.

## CAPUT II.

## HEMICRANIO MEDENDO.

**P**ortio si capitis morbo tentetur acuto,  
 Allia diversam, lana contacta, per aurem 30  
 Inducta profunt, et eodem balsama pacto:  
 Allia vel ternis piperis terna addita granis  
 Trita lines, certam dabit haec tibi cura salutem.



## CAPUT III.

## PORRIGINI DEPELLENDAE.

**E**ST insensibilis morbus, sed noxia formae,  
 Quum caput immensa pexum porrigine nunguit,  
 Copia farris uti freudentibus edita saxis.  
 Hanc poterit malvae radix decocta levare.  
 Aut tu foeniculum, nitrumque et sulphura viva  
 Contere, deinde caput permixtis ablue cunctis:  
 Furfuribusve novis durum miscebis acetum, 40  
 Ut varios crines tali des unguine puros.  
 Prodest et tarda demptus testudine sanguis,  
 Et prodest cedro demissus ab arbore fucus.  
 Desinet interea glomerari farrea nubes,  
 Cessabitque gravis crebrae porriginis imber.

## CAPUT IV.

## CAPILLO TINGUENDO.

**Q**uos pudet aetatis longae, quos sancta senectus  
 Offendit, cupiunt properos abscondere canos,  
 Et nigrum crinem fuco simulare doloso.  
 His prodest acri contrita cupressus aceto,  
 Vel frons lentisci, vel tristia poma sabuci: 50  
 Lumbrici quoque terrestres miscentur olivo,  
 Et juvenem praestant redivivo flore capillum.  
 Praeterea niveum poterit depellere crinem,  
 Resina ex facili cera viscoque coacta.  
 Ad rutilam speciem nigros flavescere crines,  
 Unguento cineris praedixit Tullius auctor.  
 Si praegnans artus captivi foricis edit,  
 Dicuntur foetus nigrantia lumina fingi.

## CAPUT V.

## PHTHIRIASI ARCENDAE.

**N**Oxia corporibus quaedam de corpore nostro  
 Progenit natura, volens abrumpere somnos, 60  
 Sensibus et monitis vigiles incendere curas.  
 Sed quis non paveat Pherecydis fata tragoedi,  
 Qui nimio sudore fluens, animalia tetra  
 Eduxit, turpi miserum quae morte tulerunt.  
 Sylla quoque infelix tali languore peresus  
 Corruit, et foedo se vidit ab agmine vinci.  
 Saepius ergo decet mordax haurire sinapi,  
 Vel nitro ac sale permixtis, acidoque liquore  
 Laxatis (ut sint simul allia) tangere corpus,  
 Aut lacrimis hederæ, aut succo perducere cedri. 70  
 Quinetiam furfur mixto medicatur aceto.  
 Unda maris lendes capiti deducit iniquas,  
 Et quidquid crebri defendit silva capilli.

## CAPUT VI.

## PRURIGINI, PAPULIS AC SCABIEI ARCENDIS.

**I**Llotus sudor, vel copia nobilis escae,  
 Saepe gravi scabie correptos asperat artus.  
 Ergo lutum prodest membris adhibere fricatis,  
 Quod facit ex asino saccatus corporis humor.  
 Nec pudeat tractare finum, quem bucula fudit.  
 Stercoris ex porco cinerem confundito lymphis,  
 Sic pavidum corpus dextra parcente foveto. 80  
 Proderit ex oleo pulvis, quem congerit alte  
 Dulcibus ex latebris patiens formica laborum.  
 Convenit hinc tepido lita tradere corpora soli.

Ferventes papulas oleo curato liquenti :  
 Aut acido Baccho miscebis farra lupini,  
 Atque hinc in calido percurre membra lavacro.  
 Pruritus autem falsos levat humor aceti,  
 Sive maris rapidi sudor, cochleaeque minutae,  
 Quarum contactu perimetur acerba libido.

## CAPUT VII.

## PHRENESE ET CAPITI PURGANDO.

**E**X vitio cerebri phrenesis furiosa movetur, 90  
 Amiffasque refert frendens amentia vires.  
 Sive calens febris jactatos exedit artus,  
 Sive meri gustus, seu frigoris efficit aura,  
 Conveniet calidis pecudum pulmonibus apte  
 Tempora languentis medica redimire corona.  
 Illotis etiam lanis suffire memento.  
 Ceritum saepe horrendi medicantur odores,  
 Atque ideo sanos etiam curarier est par.  
 Purgatur cerebrum mansa radice pyrethri,  
 Ungitur et fucis, dederit quos parva sabucus, 100  
 Expressusque hederæ mandatur naribus humor,  
 Aut mixtum rutæ cerebro instillatur acetum.  
 Non semper praesens dolor est sanabilis : ergo  
 Cura magis prodest venturis obvia morbis.

## CAPUT VIII.

DE FLUORE CAPILLORUM ET MACULIS CAPITIS  
TOLLENDIS.

**D**esuit expulsus morbo latitante capillus,  
 Si raro lavitur, seu vis epota veneni,  
 Seu salamandra potens, nullisque obnoxia flammis,

Eximium capitis tactu dejecit honorem.

• Seu calamistra, rudes inflectere docta capillos,

• Radices sterili faciunt torpere calore.' 110

Nonnumquam variant maculae, parvisque parumper

Orbibus adpersum ducit nova vulnera tempus :

Vipercae pellis cineres his addito rebus,

Roboreasve pilas ursino jungito sevo :

Vel testudineo mala permulceto cruore.

## C A P U T IX.

### HUMORIBUS ET PERFRICTIONIBUS MEDENDIS.

**S**Aepe ita pervadit vis frigoris, ac tenet artus,  
Ut vix quaesito medicamine pulsa recedat.

Si ranam ex oleo decoxeris, abjice carnem,

Unguine membra fove. parili ratione valebit

Urticae semen, perceptaque frigora vincet. 120

Et cervina potest mulcere medulla rigorem.

Decoctum raphani semen cum melle vorabis,

Sive fel ursinum tepesacta dilue lympa.

Proderit hoc potu : seu cassis ostrea testis

Usta dabit cinerem, qui pro sale sumptus in escis

Decutiet gelidum calefacto vertice virus.

Nonnullus liquidum sumit, mulsumque sinapi,

Atque palato agitat, pariter retinensque, vomensque

Allia nonnulli mandunt, oleive liquore

Perfundunt calido cerebrum, nasque latebras. 130

Quidam lactucae credunt prodesse sapes,

Curandi modus hic et suavis, et utilis idem est.

## CAPUT X.

## ELEPHANTIASI PROPELLENDAÆ.

**E**ST elephas morbus, tristi quoque nomine, dirus,  
 Non solum turpans infandis ora papillis,  
 Sed cita præcipitans funesto fata veneno.  
 Huic erit adversus cedri de cortice fucus,  
 Mustellæque cinis, vel fusus sanguis ab illa.  
 Nonnulli dixere serum prodesse bibendo.  
 Mentastri folium potu adposituque salubre est.  
 Nec frustra bulbos et sulphura jungis aceto, 149  
 ' Qui cupis horribiles ad pristina reddere vultus.'  
 Præterea nitrum debes cum melle jugatum  
 Spargere lacte bovis, varias sic unguere frontes.  
 Cerussam, et chartam, quam gens Aegyptia mittit,  
 Tunde simul, misceque oleum, quod flore rosarum  
 Conditum est: line sic faciem, sic redde salutem.

## CAPUT XI.

## CUTIS ET FACIËI VITIIS PROPELLENDIS.

**I**Nvida si maculet faciem lentigo decoram,  
 Nec prodesse valent naturæ dona benignæ,  
 Erucam atque acidum laticem simul illine malis.  
 Proderit et bulbus mellis dulcedine victus, 150  
 Crudave dulcacido miscebis rapa liquori.  
 Sanguine vel leporis morbus delabitur oris.  
 Frons salicis cum flore suo contrita medetur.  
 Sepiolæ cineres ex ossibus omnia levant.  
 Cygneos adipēs hilari misceto Lyæo,  
 Omne malum propere maculoso ex ore fugabis.  
 Horrebit si livor atrox, aut nigra cicatrix,  
 Attrito saponē genas purgare memento,

Rugarum sulcos lentisci mastiche tendens.

Si vero vitium est, quod ducit ab impete nomen,

160

Hoc matutina poteris cohibere saliva,

Seu folio platani, quod mansum mane vorabis.

Foeda fluunt curvi quae purgamenta cameli,

Urentur, cineremque dabunt, jungentur aceto

Mascula tura simul, divinaque cura valebit.

## C A P U T XII.

## AURIUM VITIIS SUCCURRENDIS.

**Q**uum saevus teneras dolor alte fauciat aures,  
Fraxinea in flammis fundit quem talca fucum

Instilles, sive obscaenos ex virgine rores,

Aut fucum ex folio, dederit quem populus alba :

Saepe chelidoniae rapidum sociatur acetum,

170

Adjunctoque nitro procedit cura salubris.

Mentastri liquor expressus conducere fertur.

Infectum violis oleum bene consulit auri.

Annosa rubros si legeris arbore vermes,

Ex oleo tere, sic tepidos infunde dolenti.

Si vero obtusa sensus remoretur in aure,

Lumbricos terrae, sebumque ex anseris rauco

Excoque : sic veterem poteris depellere morbum :

Felque bovis surdis etiam prodesse loquuntur,

Si jungas olidae grave quod minxere capellae.

180

Si vero incautas animal penetraverit aures,

Proderit admixto pavidi fel muris aceto.

At si lympham nocens pervaserit, anseris aptus

Immittetur adeps, ceparum non sine succo,

Qui gravis est oculis, sensum tamen auribus auget.

Vis et Phoebigenae divinam discere curam,

Sitque vel annosis confecta doloribus auris,

Allia tum septem numero, septemque lupinos

Cretaceam dabis in testam : tum Delphica frondis

Addatur, mixto totum ferveſcat aceto :

190

Doctus eris tepidos illinc immittere rores.

## CAPUT XIII.

## OCULORUM DOLORI MITIGANDO.

**S**umma boni eſt, alacres homini contingere viſus,

Quos quaſi cuſtodes deſenſoresque pericli

Proſpiciens ſumma natura locavit in arcē :

Sic tamen, ut nullos paterentur deſuper ic̄tus,

Atque ſupercilio pavidi tegerentur opaco.

Sed dolor immeritum lumen ſi forte laceſſit,

Lana madens oleo noctu connectitur apte,

Viventisve nepae lumen geſtatur amicum.

Ex folio caulis cineres, contraſtaque tura,

200

Et laticem Bacchi foetae cum lacte capellae,

Deſuper induces, atque una nocte probabis.

Hyblaei mellis ſuci cum felle caprino

Subveniunt oculis dira caligine preſſis.

Vettonicae manſus ſiccabit lumina ſucus.

Si tenebras oculis obducit pigra ſeneſtus,

Exprefſae marathro guttae cum melle liquenti

Detergere malum poterunt, vel vulturis atri

Fella, chelidoniae fuerint quis gramina mixta.

Haec etiam annofis poterunt ſuccurrere morbis.

210

Fel quoque de gallo mollitum ſimplice lymphā

Exacuet puros, dempta caligine, viſus.

Sive columbarum ſimus admifcetur aceto,

Seu fel perdicis parili cum pondere mellis.

Vina chelidoniae ſimili ratione jugantur,

Efficiuntque ſuo praeclaros unguine viſus:

Aſpera quinetiam mulcent, et rupta reducunt.

Si genus eſt morbi, miſerum quod lumen adurit,

Hic calor infuso mitefcit lacte canino.

Anguibus creptos adipcs aerugine mifce,

220

Hi poterunt ruptas oculorum jungere partes.

Si vero horrendum ducunt glaucomata pepulum,

Spiritus alterius prodeft, qui grana cumini

Pallentis mandens, vifus exhalat in ipfos.

Si tumor infolitus typho fe tollat inani,

Turgentes oculos vili circumline coeno.

## C A P U T XIV.

## DENTIIUM VITIO, ET ORIS FAETORI MEDENDO.

**H**Aud facile eft acrem dentis tolerare dolorem,  
Quo magis eft aequum medicam pernoscere curam.

Quum Baccho violas decoxeris, ore teneto.

Manfus item prodeft fucis oleaster acerbis :

230

Hinc ofcedo fugit, linguae quoque vulnera cedunt.

Cum vino piper et nitro tepidum inde dolenti.

Saepe chelidoniae fuco, vel lacte capellae

Sanfcunt dentes, aut tauri felle iuvantur.

Aut acidi latices claufo volvuntur in ore.

Manditur apta rubus gingivis, et bona labris

Lentifcus, myrtusque emendant oris odorem.

Quod vero adfumpfif nomen de dente fricando,

Cervino ex cornu cinis eft : aut ungula porcae

Torrida, vel cinis ex ovis, fed non fine vino,

240

Muricis aut tofti, vel bulbi extinéta favilla.

Ambitiofa putas, funt ifta falubria cunctis.

Excufos autem dentes fi forte quereris,

Ure fimum muris, patulis et hiatibus adde :

Vel cinerem dentis cervini extingueret aceto

Convenit, atque cavis immittere partibus apte.

Prodeft et pulvis lumbrici corpore tofto.

Ora ambufta cibo fanabis lacte canino.



Saepe etiam gelida gingivas collue lympha,

Dentibus, ut firmum possis servare vigorem.

250

Si vero iusandum proserpit ad intima vulnus,

Permisceto salem parili cum pondere turis,

Hinc tractato locum, miram experiere medelam.

Aut tu sume pilam, quae caudis haeret ovinis,

Haec siccato dabit molles et fracta farinas,

Hujus et attritu tetrum mulcebitur ulcus.

## CAPUT XV.

UVAE, FAUCIBUS, COLLO, ET QUAE MOLLIENDA  
SUNT, MEDENDIS.

**A** Egrescunt tenerae fauces, quum frigoris atri

Vis subiit, vel quum ventis agitabilis aër

Vertitur, atque ipsas flatus gravis inficit auras;

Vel rabidus clamor, fracto quum forte sonore

260

Planum radit iter. sic est Hortensius olim

Absumptus: caussis etenim confectus agendis

Obticuit, quum vox domino vivente periret,

Et nondum extincti moreretur lingua disert.

Ergo omni studio quaeres inhibere dolorem.

Simplicibus lymphis confunditur aërium mel,

Additur excussus nivea similagine furfur,

Decocta haec clauso simul exercentur in ore.

Praeterea fauces extrinsecus unguere prodest

Ursino et tauri sevo, cerisque remissis,

270

Omnia quae geminis aequabis lancibus ante.

Disce etiam miram ex humili medicamine curam.

Astiaco melli jungas agreste papaver,

Decoctumque simul mandes, mansumque vorabis.

Crinitae porri radices quinque coquantur,

Hinc aqua non fervens volvatur fauce sonora,

Nec tamen in stomachum descendat gutta patentem.

Si vero adficiam languor dejecerit uvam,  
 Tunc horas aliquot pronus recubare memento :  
 Aut illam pulvis tosti relevabit anethi,  
 Aut cinis ex cochlea, vel torrida brassica flammis.  
 Verum angina sibi mixtum sale poscit acetum,  
 Quod refert clauso versatum agitare palato.

280

## C A P U T XVI.

## DE RIGORE CERVICIS.

**A**T si cervices, durataque colla rigeant,  
 Mira loquar, geminus mulcebitur unguine poples,  
 Hinc longum per iter nervos medicina sequetur :  
 Anseris aut pingui torpentia colla fovebis.  
 Illinitur valido multum lens cocta in aceto,  
 Aut caprae fimus et bulbi : aut cervina medulla,  
 Hoc etiam immotos flectes medicamine nervos.  
 Quos autem vocitant tolles, adtingere dextra  
 Debebis, qua gryllus erit pressante peremptus.

290

## C A P U T XVII.

## TUSSI ET CHOLERIBUS MEDENDIS.

**N**Oxia si penitus cholerae saevire venena  
 Perspicias, cocta lactucae fronde levabis :  
 Proderit et caules adsumere saepe madentes.  
 Interdum fauces tussi quatiuntur atroci,  
 Allia tum sumes decocta et melle peruncta,  
 Semine vel raphani permixto dulcia mella.  
 Aut si fraxinea semen de fronde revellis,  
 Interiora vora, vetitus contingere dente.  
 Ovum melle teres domitum ferventibus undis,

300

Marrubiumve potens: haec faucibus optima sumes,  
Frenabisque gravem facili medicamine tussim.

## CAPUT XVIII.

## DIGESTIONI ET STOMACHO MEDENDO.

**Q**UI stomachum regem totius corporis esse  
Contendunt, vera niti ratione videntur.  
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra:  
At contra ejusdem franguntur cuncta dolore.  
Quin etiam (nisi cura juvat) vitiare cerebrum  
Fertur, et integros illinc avertere sensus.  
Lactucae semen nigrae, quod lignea pila 310  
Triverit, admixto jejunos sumito melle,  
Sed cochlear trinum gustu tibi sufficit uno.  
Aut tritum semen raphani mulsimumque juvabit:  
Sive duae partes absinthii, et tertia rutae  
Decoctis potantur aquis, siliquaeque madentes,  
Semina vel marathri foetae cum lacte capellae,  
Pulegium quoque decoctum curabit amice.  
Et potu et fotu stomacho conducit acetum.  
Seu cochleas undis calefactas, ac prope victas  
Suppositis torre prunis, vinoque garoque 320  
Perfusas cape: sed prodest magis esse marinas.  
At male digestis si crapula saeviet escis,  
Ex pipere et calida florem de rore marino  
Ebibe: seu salibus piper adde, et tenue cuminum,  
Quae coctis tinguas epulis, et rapta vorabis.  
Aut cubitum pergens succum cape tristis aceti.  
Ventriculus mergi raptus, sale tritus et ustus  
Tosto pane super, piperis quoque pulvere multo  
Miscentur, capies divinum munus in istis.  
Proderit hoc stomacho, victas et concoquet escas: 330

Grana peregrini piperis diffindito quinque,  
Niliaco melli quae mane inserta capesses.

## C A P U T XIX.

FELLIS VOMITUI, VEL PHTHISI ARCENDIS.

**L** Utea si crescunt et cunctis noxia fella,  
Allia parva novem, piperis tot permole grana,  
Quae cyatho diluta gari mandesque bibesque :  
Haec iterum septena capis, post denique quina.  
Praeterea caules, frondet si parva sabucus,  
Decoctos sale permisceas, ac jungis olivo :  
Tunc capis, ac tali auxilio fella horrida purgas.  
Profunt et pelagi latices, quos pondere justo  
Dulcibus adsocias lymphis, mellique liquenti. 340  
Et niveus prodest ex ubere succus asellae,  
Si tepido vinum infundas, ac mella piperque.  
At vomitum radix narcissi pota movebit.  
Si vero phthisis annoso sedet improba morbo,  
Intritas vino cochleas hausisse juvabit.  
Proderit et veteris sevi pila sumpta suilli.  
Carne asinae sevoque caprae medicina salubris.

## C A P U T XX.

MAMMIS SANANDIS VEL STRINGENDIS.

**U** Bera secundo multum lactentia succo  
Saepe sibi noxae nimium manando fuerunt : 350  
Faecae igitur valida duri reprimuntur aceti.  
Post partum tumidas injuste adsurgere mammas  
Interdum adspicias : harum mala commemoratur  
Murinus fimus ex pluvio sedare liquore.  
Sin autem clausas penitus dolor angit acerbus,

Lumbricis terrae turgentes ungue corymbos.

Si castigatas studium est praestare papillas,

Ex hedera fertis ambas redimire memento

Protinus, et raptas fumis mandare coronas:

Anseris aut sebum pariter cum lacte tepenti,

36●

Aut ovum illinito, tulerit quod garrula perdidit.

Praeterea pluvio decocta papavera rore

Haerescant, multis post dissolvenda diebus.

Vis et Phoebigenae coelestia fumere dona,

Ubera quum tetris laniata doloribus horrent.

Navis ramentum, et quae nomine passion herba est,

Et quae vulgari sermone Infana vocatur,

(Graecus hyoscyamon propria scit dicere lingua)

Nec non et calami radix, lapathique legumen

Mixta dabunt miras (experto crede) medelas.

37●

## CAPUT XXI.

REJECTIONI CIBI AUT SANGUINIS RE-  
STRINGENDAE.

**S**I stomachus nondum concoctas expuit escas,

Et magis atque magis vitium revomendo valescit,

Allia caedemus, crebrumque trahemus odorem.

Sin etiam rutilus refertur pectore sanguis,

Sorbitio menthae, raphanus vel cocta juvabit.

Saepe lapis teritur (specularem nomine dicunt)

Et mixtis hauritur aquis, sistitque cruorem.

Uritur interdum raptus de subere cortex,

Et cinis ex calido prodest epota Lyaeo,

Ovorum cinis, aut cochlearum, aut denique melis,

38●

Aut mansus salicum fructus prodesse putatur,

Aut platani pilulas acri infundemus aceto,

Nullus erit sanguis, quem non cibus iste moretur.

## C A P U T XXII.

## JECORIS ET LATERIS VITIIS MEDENDIS,

**S**I molles jecoris fibras dolor hauriet acer,  
 Protinus ex malsa potanda elelisphacus herba est:  
 Sumitur et semen, quod fraxinus alta profudit,  
 Vulturis atque jecur, vel jus perdicis apricae.  
 Praeterea simili drachma pix dura piperque  
 Franguntur, sic in mollito pulvere juncta  
 Egelidis miscentur aquis, recreantque bibentem. 390  
 Absinthi quoque decocti potabitur humor.  
 Si latus immeritum morbo tentatur acuto,  
 Adcensum tingues lapidem stridentibus undis,  
 Hinc bibis: aut aceris radicem tundis, et una  
 Cum vino capis: hoc praefens medicamen habetur.  
 Quid referam multis composita Philonia rebus?  
 Quid loquar antidotum variis? quis ista requirat?  
 At nos pauperibus praecepta feramus amica.  
 Nec non et jecoris quaeretur fibra lupini,  
 Jungenturque simul costum, foliumque, piperque, 400  
 Quae diluta mero dantur potanda Lyaeo.  
 Est et vis morbi, quod telum commemoratur,  
 Quum subito dolor insanus furit, incitus ictu.  
 Persicon huic potum è nuce traditur interiore,  
 Quae mihi cura satis casu monstrante probata est.

## C A P U T XXIII.

## SPLENI CURANDO.

**Q**Uando lien tumido circumligat ilia vinclo,  
 Et plenum splenis demonstrant membra rigorem,  
 Mollibus ex hederæ tormentur pocula lignis,

Hinc trahet adfuetos aeger quoscumque liquores:

Aut viridis coctorum holerum potabitur unda.

410

Proderit exsucto fluvialis hirudo cruore,

Sive myrica potens, seu ros cum pane marinus,

Aut hederæ fucus potu adpositoque juvabit.

Nec non intactam ferro quam videris alnum,

Huic liber eripitur ferro sine, decoquiturque,

Donec victarum pars tertia subsit aquarum.

Hinc medico potu pulsus dolor omnis abibit.

Nonnulli memorant consumi posse lienem,

Ervum si semper jejuno sumpserit ore.

Arida ficus item fervente domatur aceto,

420

Et trita illinitur, vel splen adponitur hoedi.

Marrubium in vino potum prodesse loquuntur.

Praeterea piper ac nepetae cum flore et anethum.

Capparitis atque apium, buglossaque jungitur una:

Horum decoctos latices potare salubre est.

Puleium, abrotonum nitida cum mastiche coctum,

Ac thymbrae speciem, quam commemorant cephaloten,

Praedixit spleni deus Idae posse mederi.

Dulcia, Plautus ait, grandi minus apta lieni.

Splen tumidus nocet, et risum tamen addit ineptum,

430

Ut mihi Sardois videatur proximus herbis,

Irrita quae miseris permiscant gaudia fatis.

Dicitur exsectus faciles auferre cachinnos,

Perpetuoque aevo frontem praestare severam.

## CAPUT XXIV.

## PRAECORDIIS SANANDIS.

**L** Anguida si duro turgent praecordia morbo,

Miscetur mulsae farris sextarius unus,

Nec non et lini tunsum siliquaeque legumen.

Haec decocta simul, nondumque tepentia nestes.

Aut quae poma Cydon Creteis misit ab oris,  
 Coëta lines, durum ut possis mollire tumorem. 44●  
 Ocima praeterea, bulbive linuntur amari.  
 Proderit et lymphis corpus mersare marinis.  
 Quinetiam catulum lactentem adponere membris  
 Convenit: omne malum transcurrere fertur in illum:  
 Cui tamen extincto munus debetur humandi.  
 Humanos quoque contactus mala tanta sequuntur,  
 Et junctus vitium ducit de conjuge conjux.  
 Quod superest thridaci junges ramenta carinae,  
 Quodque decem ex rebus confit simul atque vocatur,  
 Mastichis addentur fractae jam mollia farra. 45●  
 Talibus auxiliis praecordia tuta resident.

## C A P U T XXV.

## LUMBIS ET RENIBUS SANANDIS.

**Q**Uum saevit penitis haerens injuria lumbis,  
 Igne lapis candens datur exsultantibus undis:  
 Hoc poteris potu tristem superare dolorem:  
 Aut pice cum molli nitrum sulphurque et acetum  
 Sucida lana rapit contacta calentibus iisdem:  
 Proderit hanc aegris crebro perducere membris.  
 Aut caput asparagi cum vino fume vetusto,  
 Seu mavis adpone: modus conducit uterque. 46●  
 Aut adipi mixtum lumbis inducito sulphur.  
 Saepe chelidonium cum sico Palladis addes,  
 Farraque quae tremulis profunt sudantia flammis.  
 Fertur amygdalinae fucus nucis esse bibendus:  
 Pinsitur, ac tepidis sorbebitur addita lymphis.  
 Aut tres ex vino cochleas ferverescere coges,  
 Cumque suis domibus franges, piperis quoque grana  
 Ter quinque adjicies, potuque juvaberis illo.  
 Furfur item parca fuerit quum fervidus unda,



Post oleo madidus faccis immittitur aptis,  
 Quos vix passuris urentes addito membris. 470  
 Prodest cervinae vehemens natura medullae :  
 Nec nocuit cicéris cocti potasse liquorem :  
 Aut mixtam teneris malvam contundito porris,  
 Contritumque simul cum mastiche confer anethum :  
 Quodque decem rebus componi ex nomine clarum est.  
 His continge locum. Deus haec mihi certa probavit.

## CAPUT XXVI.

## VENTRIS DOLORI MITIGANDO.

**S**I dolor insanus tota defaevit in alvo,  
 Heminis tribus in lymphâ tu decoque tritum  
 In vino prius hyssopum, validam quoque rutam  
 Atque apium, donec pars duplex desit aquarum ; 480  
 Potus erit medicus, non detractante palato.  
 Praeterea nivei sterilis testa uritur ovi,  
 Quae postquam in tetram fuerit conversa farinam,  
 Ex calidis potatur aquis, et pota medetur.  
 Nec non jungenda est utero nova virga myricae ;  
 Illaesa haec ferro, terraque intacta, geratur.  
 Aut medio ventris prodest adspargere terram,  
 Quam signaverunt vestigia pressa rotarum.  
 Proderit et pulvis facili sub cardine raptus.  
 Quin etiam ex lymphis tritum potare cuminum 490  
 Conveniet : quod jam nobis documenta probarunt.  
 Mentha quoque hoc pacto medicos dabit hausta saporés ;  
 Coeliacos autem recreabis pane salubri,  
 Quem madido farre efficies ac mollibus ovis,  
 Quorum testa fero prius evanescere aceto  
 Refert, et teretes bulbos mollire terendo.  
 Cumque his Lenaei durum potare fluentum.

## C A P U T XXVII.

## HYDROPSI DEPELLENDAE.

**C**Orrupti jecoris vitio, vel splenis acervo,  
 Crescit hydrops, aut quum siccatae febre medullae,  
 Atque avidae fauces gelidum traxere liquorem, 500  
 Tum lymphæ intercus, vitio gliscente, tumescit,  
 Secernens miseram proprio de viscere pellem.  
 Conveniet tenerae radix decocta sabuci,  
 In geminis calidi cyathis potanda Lyaci.  
 Nec non et tepidis convolves corpus arenis:  
 Adpositaque lenes nepetae gustuque juvabunt.  
 Helleboro quoque purgatur lymphaticus error,  
 Aut hujus vice quod fert semen lenta genista  
 Miscetur multis, et cauis ducitur undis.  
 Saepe et scillino pelluntur noxia Baccho. 510  
 Est qui praevalidum frixo sale miscet acetum,  
 Atque olei succo refricat turgentia membra.  
 Fraxineum semen cum Bacchi rore bibendum est.  
 Nec non adposito curantur dropace membra,  
 Aut calido filicis radicem mollit Jaccho,  
 Qui subito raptos ventos succosque revellit:  
 Unguine quo frangit vires languoris aquosi.

## C A P U T XXVIII.

## VENTRI MOLLIENDO.

**S**Aepe cibi specie, vitio vel corporis ipso,  
 Potibus aut duris restricta morabitur alvus.  
 Vincetur talis mora gramine Mercuriali, 520  
 Cujus aquam cocti minimo cum melle bibemus.  
 Prunaque conveniunt, quae mittit clara Damascus.

Multos praeterea medici componere sucos

Adfuerunt: pretiosa tamen quum veneris emptum,

Fallêris, frustra que immensa nomismata fundes.

Quin age, et in tenui certam cognosce salutem.

Aut igitur tectum lana supponis alumen,

Aut edis in patinis tenerae decocta sabuci,

Vel cum lacte caprae falsum mulsimumque capeffes.

Crede tamen potum meliorem lactis equini:

539

Dicitur hic validos asinae pervincere sucos.

Silvestris fici lacrimam prodesse loquuntur.

Quodque satis melius verbis dicemus Horati,

Mitulus, et viles pellent obstantia conchae.

Sed cochleas prius est urtica aut furfure pasci,

Purior hinc gustus noxâ sine moverit alvum.

Saepe thalassomeli adjecto cumulavimus imbri:

Haec purgant, parili fuerint si pondere mixta.

## C A P U T XXIX.

SOLUTIONI VENTRIS, ET DYSENTERIAE  
COMPESCENDAE.

TAM varii casus mortalia secla fatigant,

Ut sint diversis obnoxia corpora morbis.

549

Saepe etenim nimio cursu fluit impetus alvi:

Frenat commixto quum fervet brassicâ vino,

Aut cerasi victum longo jam tempore pomum.

Sucus aminaeae vitis cum pane medetur:

Vel bene permixtum calida potatur acetum.

Vile quidem facili facto, tamen utile opinor,

Si laedunt medicâ data purgatoria dextrâ,

Adjecto piperis medicatur pulvere calda.

Sin autem longo decurrent intima fluxu,

Atque immane malum multo jam tempore gliscit,

550

Torridus ex vino cortex potabitur ovi.

Ramentum nivel credunt prodesse elephantis.  
 Arbore Pyramea cortex derepta coquetur  
 Axe sub aetherlo : sic nigro mixta Lyaco,  
 Immensum poterit potu retinere fluorem.  
 Numinis aut jussu cedrum cum mastiche misces,  
 Mollitamque piceam, et rasum de navibus unguen :  
 Languida quo fidens medicamine membra fovebis.  
 Proderit et pueris, quos dentis origo fatigat,  
 Castaneas coxisse nuces et sorba vetusta, 560  
 Atque apium, caulesque, rubus quos fundit acuta :  
 Potio quae fluidam consumpta morabitur alvum.

## C A P U T XXX.

## LUMBRICIS ET TINEIS PURGANDIS.

Quid non adversum miseris mortalibus addit  
 Natura, interno quum viscere taenia serpens,  
 Et lumbricus edax vivant inimica creanti ?  
 Quod genus adsiduo laniat praecordia morsu.  
 Saepe etiam scandens oppletis faucibus haeret,  
 Obsessasque vias vitae concludit anhelae.  
 Ergo cinis cornu cervini proderit haustus,  
 Vel nepetae tritum ex vino vel lacte capellae : 570  
 Nec non et succus medici potatur aceti.  
 Prodest praeterea cum Baccho Persica frondis.  
 Democritus memorat menthae conducere potum.  
 Sumitur abrotonum, nec non et vile melanthum.  
 Allia per sese sanant, aut jus coriandri.  
 Quin et Marrubium decoctum haustumque juvabit,  
 Puleiumve potens et agreste jugatur anethum :  
 Synthesis haec prodest unda mollita calenti.

## CAPUT XXXI.

## COLO SEDANDO.

**Q**Uum colus (invisum morbi genus) intima carpit,  
 Mande galeritam volucrem quam nomine dicunt,  
 Aut pavidi leporis madefacta coagula pota. 581  
 Sive apio nepetas tereti cum mastiche junges,  
 Nec non et species ambas redolentis anethi,  
 Quarum decoctos patiens haurito liquores.

## CAPUT XXXII.

VESICAE ET CALCULO PURGANDO, ET URINAE  
 PROVOCANDAE.

**S**I cui vesicae tardus cunctabitur humor,  
 Haec mora rumpetur vino pervicta vetusto.  
 Prodest ex parvis acinos potare fabucis,  
 Aut hederæ sucum, aut lacrimosi trita sinapis.  
 Nec non resinas ex Oricia terebintho  
 In speciem erviliae parvos glomerabis in orbes, 590  
 Quos ternos tepida mixtos hausisse medela est.  
 Quondam etiam nimio praeceptis urina fluente  
 Irrigat exuvias, obscaenoque inficit imbri:  
 Ergo cinis cornu cervini proderit haustus:  
 Vel nepetae ex vino tritum, vel lacte capellae.  
 Tum leporis cerebrum ex vino potare juvabit.  
 Si dolor internam vesicae concoquit alvum,  
 Subveniet radix frondosae epota cupressi,  
 Puleiumve potens domitum ferventibus undis.  
 Si vero in lapides densus convertitur humor, 600  
 Qui retinet cursus, gemitumque dolore frequentat,  
 Saxifragam seu fontigenam succurrere credunt,

Præterea semen myrti silvestris læcho  
 Atque oleo mixtum bibitur, (nec desit acetum)  
 Vinaque sumantur fricta condita cumino:  
 Sive palumborum capitur firmus æriorum,  
 Dulcacidis sparsus fucus, trituque solutus:  
 Nec non obscaenus caprae potabitur humor.  
 Obruit hic morbum, labefactaque saxa remittit.

## C A P U T XXXIII.

## CONCEPTIONI ET PARTUI.

**I**rrita conjugii sterilis si munera languent, 610  
 Et sobolis spes est multos jam vana per annos,  
 Femineo fiat vitio res, necne, silebo:  
 Hoc poterit quartus magni monstrare Lucreti.  
 Sed natura tamen, medicamine victa potenti,  
 Saepe dedit foetus, studio curante, paratos.  
 Aut igitur leporis consumit femina vulvam,  
 Aut ovis, in stabulis fractas quum ruminat herbas,  
 Pendentem spumam molli deducit ab ore,  
 Atque illam meminit mixto potare falerno.  
 Mercurialis item capitur communiter herba: 620  
 Sic cubitum noctu conjux festinat uterque.  
 Atque ubi jam certum spondet praegnatio foetum,  
 Ut facili vigeat servata puerpera partu,  
 Dictamnium bibit, et cochleae manduntur edules:  
 Aut qui olim menses minus octo moratus in alvo,  
 Irrumpit thalamos, et nexus solvit inertes:  
 Puleii quoque purgati tunc convenit imber,  
 Cujus opem veram casus mihi saepe probarunt.  
 Quin etiam stercus supponunt vulturis atri, 630  
 Sentiat ut minime partus quam proximus urguet:  
 Ova etiam rutae et fragili miscentur anetho,  
 Quae diluta simul vino atque exhausta medentur.

## CAPUT XXXIV.

PROFLUVIO CUJUSQUE SANGUINIS ET MATRICI  
SUBVENIENDAE.

**S**I modicus pleno manat de corpore sanguis,  
 Subvenit: at nimius cum vita funditur ipsa.  
 Quapropter multo naris completa cruore  
 Quum fluit, attritus simex conducit odore.  
 Lana oleo madefit, sed nondum lauta, rosato:  
 Haec datur in nares, vel claudit densius aures.  
 Contritis prodest cochleis perducere frontem:  
 Aut galli cerebro, vel sanguine tingue columbae. 640  
 Quod nisi supprimitur, sanguis potandus et ipse est.  
 Praeterea Phariis caput emetire papyris.  
 Detrahe quod superest, illo genitalia nocte.  
 Femineas prodest illinc vincire mamillas,  
 Menstruus immenso si profluit impete sanguis.  
 Sucida lana malos remoratur subdita cursus,  
 Mortua quin etiam producit corpora partu.  
 Sed quacumque fluit vis immoderata cruoris,  
 Subereus cortex calidis potatur in undis,  
 Ante minutatim, studio vincente, terendus. 650  
 Puleii calido purgatur femina potu.  
 Sed si forte cruor clausa cunctabitur alvo,  
 Aut molles nepetae, aut rutae quaecumque bibentur.  
 Aut si puniceos fundit vesica liquores,  
 Marrubium ex passo tritum perfunditur undis:  
 Hi poterunt haustus rutilum purgare colorem.  
 Reliquias partus dictami detrahit herba.  
 Quod si feminei properabit sanguinis imber,  
 Est qui frustra molae percussu decutit uno,  
 Quorum aliquod lanis testum ad praecordia noctit, 660

Haec simul incantans, fiksi debere cruorem,  
 Ut lapis ille vias solitos jam destitit orbes.

## C A P U T XXXV.

## INTERNECANDIS QUAE OCULOS IMPEDIUNT.

**M**obilis hirsutas horret lascivia setas,  
 Et gaudet raptò nudari flore pilorum.  
 Sed bona nonnumquam vellendi causa videtur,  
 Corpora quum relevat ratio manifesta salutis.  
 Namque oculos infesta pilorum tela laceffunt,  
 Quodque illis dederat vallum natura tuendis,  
 Inde inimica seges proprios desaevit in orbes.  
 Ergo locum crinis vulsi continge cruore, 670  
 Quem dat avis, tremulis simulat quae pellibus alas.  
 ‘Sanguine vel ricini, quem nigro de cane velles.’  
 Praeterea quascumque voles avertere setas,  
 Atque in perpetuum rediviva ocludere tela,  
 Corporibus vulsis saniem perducito ranae :  
 Sed quae parva situ est, et rauco garrula questu.  
 Nec non e stagnis cessantibus exos hirudo  
 Sumitur, et vivens Samia torretur in olla :  
 Haec acidis jungit permixta liquoribus artus,  
 Avulsamque vetat rursus percrefcere silvam. 680

## C A P U T XXXVI.

## OMNIBUS OBSCAENIS MEDENDIS.

**D**icendum et quae sit membrìs medicina pudendis.  
 Languidus antiquo purgatur penis Iaccho,  
 Ac super illinitur fecundae felle capellae.  
 Mane novo myrti frondes commandere prodest,  
 Cui dolet, atque illas in vulnus despuat ipsum.



Faecce etiam vini genitalia lauta levantur,  
 Et tumidos testes Nereia lympha coërcet,  
 Vel bulbi ex mulso, vel cera immixta cupresso:  
 Aut faba cum tepidis Bacchi decocta fluentis.  
 Ramicis immensum fertur cohibere tumorem 690  
 Far madidum lympha, et feralis fronde cupressi:  
 Unde etiam potu frons haec memoratur amica.  
 Sin autem existit durum tibi glandibus inguen,  
 Proderit induci cochleas cum melle minutas.  
 Obscaenos si pone locos nova vulnera carpent,  
 Horrentum mansa curantur fronde ruborum.  
 At si jam veteri succedit fistula morbo,  
 Mustellae cinere immisso purgabitur ulcus,  
 Sanguine seu ricini, quem bos gestaverit ante.  
 Herba chelidoniae fertur cum melle mederi, 700  
 Herbaque cum sevo foliis de mille vocata.

## CAPUT XXXVII.

## ISCHIAE ARTICULARI ET MORBO.

**S**Aepius occultus victa coxendice morbus  
 Perfurit, et gressus diro languore moratur.  
 Populus alba dabit medicos de cortice potus:  
 Nec non et tenerae gracili de fronde genistae  
 Adreptos caules, acidoque liquore madentes  
 Sumere conveniet, rubiam quoque ducere potu:  
 Aut in aminae cochleas haurire Lyaeo.  
 Si vero articulos tabes inimica per omnes  
 Haeserit, ex ficu betas ac melle ligabis. 710  
 Vel pelagi latices, simul et Baccheia dona  
 Sumere curabis: nimio sed parcito vino.  
 Ennius ipse pater, dum pocula siccant iniqua,  
 Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

## C A P U T XXXVIII.

## FURUNCULO MEDENDO.

**Q**uum sanguis nimius puri commixtus atroci  
 Aestuat, et papulas alte sustollit acutas,  
 Resinam miices et saxis ordea fracta:  
 Conspersa haec tepidis adponere convenit undis.  
 Vis et hyoscyamum cerae sevoque jugatum  
 Nestere? non minus haec poterit medicina juvare. 720  
 Praetereaque fimum ex gallo quod legeris albo,  
 Imbribus ex acidis fidens adpone dolenti.  
 Auribus aut pecudum molles expromito sordes,  
 Unguine quo fosis dabitur medicina papillis.

## C A P U T XXXIX.

## CARBONI MEDENDO.

**H**orrendus magis est, perimit qui corpora, carbo.  
 Urit hic inclusus, vitalia rumpit acerbus:  
 Hunc veteres quondam variis pepulere medelis.  
 Tertia namque Titi simul et centesima Livi  
 Charta docet, ferro talem candente dolorem  
 Exactum, aut potio raptorum femine pulsam: 730  
 In festi dicens vix septem posse diebus  
 Vitam produci: tanta est violentia morbi.  
 Dulcacidum laticem cum lini semine junge,  
 Atque fimum pariter Paphiae compone columbae:  
 Hinc line duratas partes, et clausa venena.  
 Praeterea triti referant et operta lupini.  
 Nonnullus calcem vivam dissolvit aceto,  
 Fumantemque nivem papulis adponit acerbis.  
 Est qui gallinae perducit stercore corpus.

Allia vel piperi parce commixta linuntur.

74●

Pythagorae cognata levi condita cumino

Proderit, et madido fermentum polline turguens.

## CAPUT XL.

## PANO, VOMICAE ET STRUMAE DEPELLENDIS.

**S**unt alii, quos dura movet natura, tumores,

Non minus horrendi, sed non ita perniciosi,

Vomica quālis erit, vel eidem proxima quaedam.

Simplice resina miscebimus hordea tusa,

Et mulsos amnes, et purgamenta columbae.

His bene decoctis languentia membra foventur.

Mollis odorato faba jungatur coriandro,

Proderit adpositum, mollitque aperitque tumorem. 75●

Aut de phasgano radix decocta palustri,

Quae salis admixto tundetur condimento.

Proderit et mansum, quod traxeris arbore, viscum.

Gramen hyoscyami cerae sevoque vetusto

Concilia, mixtisque locos perduce dolentes.

Exercere etiam corpus medicina potens est.

Ovum defundes in fictile, deinde putamen

Marrubii succo implebis: post melle liquenti

Omnia consociata tepenti prospera potu 759

Sumuntur, reserantque malum, purgantque, levantque.

## CAPUT XLI.

## IGNI SACRO DEMOVENDO.

**E**ST etiam morbi species, quae dicitur ignis,

Languida quo multo torrentur membra calore. .

Vel tu vicino sebum bovis igne remittis,

Mollitumque lines: vel oloris faecibus ova,

Sed non coëta, dabis, sic torrida membra fovebis.  
 Lumbricus terrae mixto inducetur aceto,  
 Aut parili nova ruta modo, sed jungis olivum;  
 Ovaeque cum betis profunt saepe illita tritis.  
 Allia dant cinerem sociato oleoque garoque,  
 Unguine quoq; gliscens deponet flamma furorem. 770  
 Saepe chelidoniae pars candida jungitur ovi,  
 Quae modico potu, sed vili, trita capeffes.  
 Admiscere memor lymphas annemque falerni.

## C A P U T XLII.

## PODAGRAE DEPELLENDAE.

**Q**uædam sunt rabidae medicamina digna podagrae,  
 Cui ter tricenae species Epidaurius ipse  
 Dixit inesse Deus: requiem tamen indere morbo  
 Fas erit, et tristem saltem mulcere dolorem.  
 Ergo age, et adreptum salicis frondemque librumque  
 Cum vino tere, sic contractos perline nervos.  
 At quum prima mali sese ostentabit origo, 780  
 Feruida non timidis tolera cauteria plantis:  
 Seminecisve hirci referato pectore calces  
 Inere: sic dirae reprimes primordia pestis.  
 Aut si corruptus perfederit altius humor,  
 Trita cupressus ibi Baccho jungetur acerbo,  
 Panibus et teneris: cohibebitque addita questus  
 Parva sabucus item hircino collita sevo:  
 Triticeaeque acido manantes amne farinae:  
 Aut nitido ranae decoctum viscus olivo,  
 Sive chelidoniae sucus sale mixtus aceto. 790  
 Sunt quibus adposita siccatur hirudine sanguis.  
 Non audita mihi sit fas, sed lecta referre.  
 Hoc quidam raptus morbo per tempera messis,

Vicino plantas frumenti pressit acervo,  
Evasitque gravem casu medicante dolorem.

## C A P U T XLIII.

VULNERIBUS FERRO AUT VERBERIBUS FACTIS.

**N**aturae vitiis medicas objecimus artes :  
Nunc et fortunæ jaculis obistere par est.

Si cui forte lapis teneros violaverit artus,  
Necte adipēs vetulos, et tritam chamecisson,  
Nec pudeat luteae sterco perducere porcae. 800

Sin autem saevo laceratum est verberē corpus,  
Tum lixiva cinis ceras dissolvit et ova,

Admixtoque oleo vibices comprimit atras.

Si vero infrenus manat de vulnere sanguis,

Purpura torretur conchyli perlita fuco,

Hujus et atra cinis currentem detinet undam.

Verrucae quoque desectae frenare cruorem

Dicitur ambustus Tyrio de vellere pulvis.

Praeterea nimios referati vulneris amnes

Peniculi cinis adstringit, vel fimbria porri. 810

Sive fimus manni cum testis uritur ovi,

Et reprimit fluidos miro medicamine cursus.

## C A P U T XLIV.

VULNERIBUS QUIBUSCUNQUE CASIBUS FACTIS.

**T**AM varia humanae sunt vulnera conditionis,

Ut nequeam proprias cunctis adscribere curas.

Iisdem igitur monitis casus armabimus omnes.

Sic tamen ut nullus medicinam clausit error.

Ergo, modus quicumque obtingit vulneris atri,

Contritus cum melle dabit medicamina bulbus :

Herbaque, quae foliis nomen de mille recepit,  
 Adpositu prodest adipi permixta vetusto.  
 Sucida cum tepido nec tetur lana Lyaeo,  
 Ambustaeve cinis complebit vulneris ora.  
 Concludit vero vel frons vel ramus ab ulmo.  
 At sucis hederæ pulchrescit foeda cicatrix.

## C A P U T XLV.

## HOMINIS AC SIMIAE MORSUI.

Sive homo, seu similis turpissima bestia nobis,  
 Vulnera dente dedit, virus simul intulit atrum,  
 Betoniam ex duro prodest adsumere Baccho.  
 Nec non et raphani cortex decocta medetur,  
 Si trita admorsis fuerit circumlita membris.

## C A P U T XLVI.

## SERPENTIUM MORSIBUS ET VENENIS EXCLUDENDIS.

Cuspide non quisquam, longae neque caede sarissae, 830  
 Fulmine non gladii, volucris nec felle sagittae,  
 Quam cito vipereo potis est adfigier ictu.  
 Quare aptam dicamus opem, sucosque medentes.  
 Quum nocuit serpens, fertur caput illius apte  
 Vulneribus jungi: sanat quem fauciat ipsa;  
 Ut Larissae curatus Telephus hasta.  
 Proderit et caulem cum vino haurire sabuci,  
 Aut coctum raphani librum tritumque ligare,  
 Sive etiam excelsa folium de mole cupressi:  
 Manabit lactens caprifici fucus ofellam. 840  
 Aut thymallus atrox vulnus contrita perungit.  
 Carduus et nondum doctis fullonibus aptus,  
 Ex illo radix tepido potatur in amni.

Cervino ex foetu commixta coagula vino  
Sumuntur, quae res membris agit atra venena.

Aut ferulae radix potatur in imbre Lyaei:  
Etonicaeve leves, gallinae aut jura vetustae.

Si vero horrendum vulnus fera fecerit aspis,  
Urinam credunt propriam conducere potu.

Varronis fuit ista senis sententia: nec non  
(Plinius ut memorat) sumpti juvat imber aceti.

Dicendum et quae sit praecox medicina timenti:  
(Cautio namque potest diros praevertere morsus)

Si jecur exsectum tardo de vulture portes.

Erucis aut si totos perduxeris artus,

Quas prius adtritas vehementi spargis aceto.

Aut tu cervina per noctem in pelle quiesces,

Aut genere ex ipso dentem portabis amicum.

Toxica praeterea qua sint pellenda medela,  
Expeditam. sanguis poterit prodesse caninus,

Qui facili potu antidotos imitatur honestas.

Vis et mirificos cautus praediscere odores,

Accensis quibus arcetur teterrima serpens?

Aut styracem torres, aut diri vulturis alam,

Vel nepetam, aut frondem rigidae stirpemque myricae.

## C A P U T XLVII.

ICTIBUS SCORPII, ET MORSIBUS MURIS CAECI VEL  
ARANEI.

**S**unt minimae species, sed dirae vulnere pestes,  
Quae magis in tenui latitantes corpore fallant:  
Scorpius ut gravis est et araneus: haec mala semper

Captant securos multa jam nocte sopores,

Et documenta dedit nobis prostratus Orion,

Magna quod exiguis perimantur membra venenis.

At qui vulnus atrox incussit scorpius ardens,

Continuo capitur, tunc digna caede retusus,  
 Vulneribusque aptus, fertur revocare venenum.  
 Aut calidis pelagi lymphis loca laesa foventur:  
 Sive meri potu dissolvitur improba pestis.  
 Ad cunctos autem morsus ictusque minorum  
 Caseus aptus erit simae de lacte capellae,  
 Cumque hoc absumi debet origanus herba:  
 Haec duo mirificis curabunt ista medelis. 880  
 Nec non foeniculo calidum adnectatur anethum,  
 Aut vivum sulphur sicca cum faece Lyaci.  
 Exiguo piperis cerebrum conspergito galli;  
 Quo lita sanescunt depulso membra dolore.  
 Sin autem muris nocuit violentia caeci,  
 Quae sola signavit volvendis orbita plaustris,  
 Illinc: mira datur vili de pulvere cura.

## C A P U T XLVIII.

SUBITANEO DOLORI, FEBRI, ATQUE OSTOCOPO.

**N**onnumquam existit subiti nova causa doloris,  
 Cujus origo latet, veris reprimenda medelis.  
 Namque chelidonium mixto sale necere prodest, 890  
 Velleraque infuso recalentia sulphure sanant.  
 Ostocoon lento conducit melle perungi.  
 Sin autem calidae depascent corpora febres,  
 Tunc apii fucus leni sociatur olivo.  
 Membra lines, fotuque ferus mulcebitur ignis.  
 Nec spernendus adeps, dederit quem bestia melis.  
 Seminecis cervi lacrimam miscere liquori  
 Convenit, atque artus illinc mulcere calentes:  
 Sic lacerat morbum bilemque revolvit in alvum.  
 Praeterea chymum stomacho desiccet iniquum, 900  
 Quae magis atque magis promittunt corpora claudi.



Febribus at longis galli nova jura vetusti  
Subveniunt, etiam tremulis medicantia membris.

## CAPUT XLIX.

## QUARTANAË TYPO MEDICANDO.

**N**EC tu crede levem dilato tempore febrem,  
Quae spatium sibi dat, magis ut cessando calefcatur,  
Lethali quae grassatur quartana calore,  
Ni medicas adhibere manus curemus et herbas.  
Allia non pudeat terno cum cimice trita,  
Et diluta mero, mediis haurire diebus,  
Aut facilem jecoris murini ducere fibram, 910  
Quatuor ut duri jungantur scripula Bacchi:  
Mira est absinthii cum simplice potio lympa.  
Sume tribus digitis adpressum semen anethi,  
Tantumdem marathri, mulsam nec desit aceti,  
Uno sed cyatho praedicta salubriter hauris.  
Maeoniae Iliados quartum suppone timenti,  
Aut leporis trepidi diluta coagula trade.  
Prodest et potus, sed mulsus, Doridis humor.  
Quidam etiam miranda ferunt, veniente calore  
Jurantes ludum Veneris munusque petendum. 920  
Sed prius est oleo partus fervere ranae,  
In triviis, illoque artus perducere fuco.

## CAPUT L.

## TERTIANAË TYPO MEDICANDO.

**E**ST etiam alternis febris rediviva diebus,  
Tempora discernens, quasi justae pondere librae.  
Ut possis igitur talem prohibere furorem,  
Involve cera pallentis grana cumini,

Puniceaeque indes pelli, colloque ligabis.

Pulcii ramus lanae velatus amictu

Tempore suspecto medicos praebebit odores.

Praeterea tritus cimex potatur in ovo,

930

Horridus adtractu, sed gustu commodus apto.

## C A P U T L I.

## QUOTIDIANAE TYPO MEDICANDO.

**A**T qui continuis non cessat adire diebus,  
Sed tantum certas morbus discriminat horas,  
Triticeum metuit granum (si credere dignum est)  
Quod latitans fracto fuerit sub pane repertum.  
Nec non ossa juvant septis inventa domorum:  
Convenit haec tereti pendentia subdere collo.  
Multaque praeterea verborum monstra silebo:  
Nam febrem vario depelli carmine posse  
Vana superstitione credit, tremulaeque parentes.

940

## C A P U T L I I.

## HEMITRITAE O DEPELLENDO.

**M**ortiferum magis est, quod Graecis hemitritaeum  
Vulgatur verbis: hoc nostra dicere lingua  
Non potuere ulli, puto, nec voluere parentes.  
Inscribis chartae, quod dicitur Abracadabra,  
Saepius: et subter repetis, sed detrahe summae,  
Et magis atque magis desint elementa figuris  
Singula, quae semper rapies, et cetera figes,  
Donec in angustum redigatur litera conum.  
His lino nexis collum redimire memento.  
Nonnulli memorant adipem prodesse leonis.  
Curalium atque crocum corio connectito felis.

950

Coralium vero si collo nectere velles,  
 Ne dubites illi virides miscere zmaragos:  
 Talia languenti conducent vincula collo,  
 Lethalesque abigent (miranda potentia) morbos.

## C A P U T LIII.

## FRACTURIS, ET LUXIS SANANDIS.

**I**n sandum dictu cunctis procul absit amicis,  
 Sed fortuna potens omen convertat in hostes.  
 Vis indigna novo si sparserit ossa fragore,  
 Conveniet cerebrum blandi canis addere fractis,  
 Lintea deinde, superque inductas nectere lanas: 960  
 Saepius et sucos conspergere pinguis olivi:  
 Bis septem credunt coalescere cuncta diebus.  
 Aut veteri Baccho caprae fimus inde petulcae,  
 Hoc aperit clausum trahit haerens, sanat apertum.  
 Si vero caput infestus colliserit ictus,  
 Ex oleo necti vestis debet arachnes:  
 Nesciet haec illinc (nisi quum sanarit) abire.  
 Quod si luxa suo decedant membra tenore,  
 Urere femineos crines, ac jungere sebum  
 Congruet, ac tali medicamine mota ligare. 970  
 Aut malum ex pingui tritum adposuisse juvabit.  
 Aut si conclusum servavit tibia vulnus,  
 Stercus ovis placidae junges, adipesque vetustos,  
 Pandere quae poterunt ulcus, patuloque mederi.

## CAPUT LIV.

NERVIS INCISIS ET DOLENTIBUS, ATQUE  
CONTRACTIS.

**H**Aud quisquam credet disiectos vulnere nervos  
Ad solitum rursus revocari posse vigorem :  
Sed prodest terrae lumbricos indere tritos,  
Quis vetus et rancens sociari axungia debet.  
Si vero occultus nervos dolor vit inertes,  
Vulturis excisos adipēs, rutamque remitte, 980  
Aut ceram, et tali recreabis languida fotu,  
Convenit et pelagi calidis perfundier undis :  
Carica vel betis lento cum melle jugatur :  
Aut Baccho madefacta Ceres cum fronde cupressi,  
Quo poteris fotu recreare rigentia membra.  
Sin autem subito replicantur corpora morbo,  
Contractos revocat nervos caro sumpta columbae.

## CAPUT LV.

AEGRIS SOMNO ADSCISCENDO.

**N**ON solum miseros teterrima febris adurit,  
Sed super optato pergīt viduare sopore,  
Ne profint placidi, coelestia munera, somni. 990  
Charta igitur, variis quam pinxit litera verbis,  
Uritur, inde cinis calido potatur in amni.  
Proderit et magnum capiti substernere fulcrum,  
Prodest et mixtam lymphis potare cupressum :  
Palladiis itidem fucis, quos flore rosarum  
Jungis, et immisces madidum tritumque papaver,  
Quo lita frons facilem praebēbit nocte quietem.  
Nec non mandragorae gustu sopor additur altus.

Dilue praeterea glomeramina, quae gerit intus  
 Clausa aries inter geminae coxendicis umbras, 1000  
 Inde soporati ducentur gutture potus.

## CAPUT LVI.

## LETHARGIAE EXPELLENDAE.

**D**iximus hanc sortem miseris mortalibus esse,  
 Ut saepe inter se mala sint contraria morbi.  
 Denique nonnumquam somno sic membra gravantur,  
 Ut jungatur letho sopor altus acerbo.  
 Ergo levi flamma torrentur cornua caprae,  
 Quo nidore gravem depellent lumina somnum.  
 Aut Veneris labrum quae dicitur herba, bibetur:  
 Quae teritur prius et vino confusa liquefcit.  
 Conveniunt acidis euphorbia mixta fluentis, 1010  
 Gramina vel rutae, gemina si nare trahantur.  
 Quidam dira jubent, septeno cimice trito  
 Ut vitientur aquae, cyathusque bibatur earum:  
 Haec potiora putant, quam dulci morte perire.

## CAPUT LVII.

## COMITIALI MORBO.

**E**ST subiti species morbi, cui nomen ab illo est,  
 Quod fieri nobis suffragia iusta recusant.  
 Saepe etenim membris atro languore caducis,  
 Concilium populi labes horrenda diremit.  
 Ipse deus memorat dubiae per tempora lunae  
 Conceptum, talis quem saepe ruina profudit. 1020  
 Prodest cum veteri Baccho fel vulturis ampli:  
 Sed cochlear plenum gustu tibi sufficit uno.  
 Aut cruor ex Progne mixtus cum polline turis:

## 134 Q. SERENUS SAMONICUS

Aut apium elixum, aut conditum melle fel agni:  
 Marrubiumve pari confusum pondere mellis,  
 Cui tu terna dabis gustu cochlearia in uno.  
 Aptus mustellae cinis est et hirundinis una.  
 Praeterea pluvias, hominis quas calva supina  
 Excepit projecta sinu, consumere prodest.  
 Aut lapis ex nido, vaga quem congescit hirundo, 1030  
 Vellitur, et nexu fovet attollitque jacentem.  
 Pellitur (ut fama est) gustu quoque languor anethi.

## C A P U T LVIII.

## REGIO MORBO PELLENDO.

**R**Egius est vero signatus nomine morbus,  
 Molliter hic quoniam celsa curatur in aula.  
 Huic rubia ex malsa fertur conducere lympha.  
 Allia trita dabis vino madefacta calenti.  
 Vellera cum vivo suffiri sulphure prodest.

## C A P U T LIX.

INFANTIBUS DENTIENTIBUS, VEL STRIGE  
INQUIETATIS.

**N**Udum hominem primum mater natura profudit:  
 Insuper excruciat, niveis quum dentibus armat.  
 Collo igitur molli dentes neſtentur equini, 1040  
 Qui primi fuerint pullo crescente caduci,  
 Aut teneris cerebrum gingivis illine porci:  
 Aut leporis niveum bibitur cum lacte caprino.  
 Praeterea si forte premit strix atra puellos  
 Viroſa immulgens exfertis ubera labris,  
 Allia praecepit Titini ſententia neſti,  
 Qui veteri claras expreſſit more togatas.

## CAPUT LX.

## COMBUSTURIS IGNE VEL FRIGORE.

**S**UNT diversa quidem mala frigoris atque caloris:

Sed tamen amborum simili nocet ulcere virus.  
 Illa quoque usta putes, quae sunt nive laesa rigente. 1050  
 Conversa in cinerem platani pila curat utrumque.  
 At vero ambustum flammis, qui candidus ovi  
 Sucus inest, penna inductus, sanare valebit.  
 Aut tu sucosae cinerem perducito lanae,  
 Aut vivam ex oleo veteri composito calcem,  
 Ordea vel franges, atque ovi candida junges.  
 Adsit adeps porcae (mira est haec forma medelae)  
 Junge chelidoniis, ac sic line vulnera, succis.  
 Quodque recens uffit glacies, axungia simplex  
 Mulcet, et ex facili grata est medicamine cura. 1060

## CAPUT LXI.

## VENENIS PROHIBENDIS.

**U**T tutus fias infestae fraude novercae,  
 Vel quicumque tuo carpetur lividus auctu,  
 Non exspectatis eat obvia cura venenis.  
 Ante cibos igitur juglandis foetus edatur.  
 Produnt electri variantia pocula virus.  
 Praeterea coctae querno cum cortice lymphae  
 Conveniunt potu, demersave ficus olivo.  
 Saepe etiam raphanum praedixit numen edendum.  
 Antidotus vero multis Mithridatia fertur  
 Consociata modis, sed Magnus scrinia regis 1079  
 Quum raperet victor, vilem deprendit in illis  
 Synthetin, et vulgata satis medicamina risit,

Bis denum rutae folium, salis et breve granum,  
 Juglandesque duas, totidem cum corpore ficus:  
 Haec oriente die parco conspersa Lyaeo  
 Sumebat, metuens dederat quae pocula mater.

## C A P U T LXII.

## VENENIS DATIS.

**S**I nequit infandum praevertere cautio virus,  
 Proximus ille gradus, data pocula pellere curâ.  
 Lac asinae placidaeque bovis prodesse loquuntur.  
 Betonicam ex parvo sumunt plerique Lyaeo. 1080  
 Quod si hederæ sucos, quæ truncos implicat altos,  
 Instilles pateris, poterunt haud ulla nocere  
 Pocula, quæ quisquam sævis vitiaverit herbis.  
 Siquis hyoscyamum gustarit lacte capellæ  
 Exhausto, rabidos poterit mulcere furores.

## C A P U T LXIII.

## VULNERIBUS EX RE DUBIA CURANDIS.

**V**ulnera tabescunt spatio vitiata dierum,  
 Curaque nil prodest, nec ducitur ulla cicatrix.  
 Sed tamen herbarum tam mira potentia pollet,  
 Ulceris annosi sinus ut coalescere possit,  
 Marrubium si tu recoquas, illoque liquore 1090  
 Vulnus atrox foveas, cineres vel hirundinis altae  
 Inducas, leporisve adpersa coagula vino:  
 Aut hederam Baccho decoctam, et semen anethi,  
 Aut cineres alni tardo cum melle ligentur.  
 Lumbrici terræ poterunt conducere vulnus,  
 Aut facilis lapathi coma latior ulcera purgat,  
 Et commixtus adeps, sed nonnullo sale tactus.



Pinea praeterea vivo cum sulphure cortex,  
Et pice cum spissa, jam perdita membra reponit.

## C A P U T LXIV.

## VERRUCIS TOLLENDIS.

**I**Nterdum existit turpi verruca papilla. 1100  
Hinc quondam Fabio verum cognomen adhaesit,  
Qui solus patriae cunctando restituit rem.  
Id poterit vitium sanguis curare lacertae,  
Aut urina canis cum terra inducta madenti.  
Aut herbae fucus, quae fertur nomine lathyr,  
Et tithymallus item tali satis apta medelae.  
Si rupta immensos fundit verruca cruores,  
Purpureo triti cineres de vellere profunt,  
Quod fuerit vero conchyli sanguine tinctum.

## C A P U T LXV.

## HAEMORRHOIDIBUS MEDENDIS.

**E**Xcruciant turpes anum si forte papillae, 1110  
Agrestis prodest radix superaddita porri,  
Ne violet sanum, juglandis fragmine clausa.  
Sal niveum fumes, Beticum quod nomine dicunt,  
Dulcia cumque nigra junges fuligine mella,  
Adponesque super: pellit medicina dolorem.

*Quae sequuntur, ex Aldino codice sumpta, indigna  
sunt Sereno, et pro spuriiis habenda.*

# P A R A L Y S I D E P E L L E N D A E.

## PRIMA DIE ITA AGENDUM.

**H**UNC quicumque cupis citius depellere morbum,  
Protinus antidotum studio tu perface mirum :  
Scilicet ut valeas languenti ferre medelam,  
Castoreas siliquas bis sex perquirere cura,  
Tristis item digitis lympham metire duobus :  
Denique tunc capies phialam, quae justior exstat,  
Aut equidem flammam : sed prunas subjice follers :  
Proderit interea tepidum petentibus illud :  
Jejunis sed enim potius praebere memento.

## SECUNDA ITA MEDENDUM EST.

**Q**Uumque secunda dies orbi pervenerit omni,  
Haud aliis rebus prudens adjungere cures.  
Castoris atque nomen siliquas adpendito statim,  
Atque duos semis digitos metire memento  
In calice atque probo lympham miscere duobus,  
Qui patitur, tepidum languens hinc sorbeat ipse.

## TERTIA DIE ITA CURANDUM EST.

**G**Ratior atque dies ternus quum venerit imo,  
 Rursus in aegrotto constanter fer medicamen,  
 Castoreas siliquas iterum quae pondere sint sex :  
 Hinc etenim binos digitos metire memento  
 De lymphâ liquida : sed enim subungere cura      20  
 Et simili debes tepidum praebere modo tunc.

Ita peragendum est a quarta die usque ad sextam, et à septima usque ad nonam, à decima usque ad duodecimam, et mirifice prodest.

## QUID QUARTA DIE ET RELIQUIS PERAGENDUM SIT.

**Q**uartus et ille dies consentit : necne priori  
 Quintus, et est simili percellens namque secundo,  
 Sextus : itemque simul concordat denique terno :  
 Septimus usque nonum percurritur ordine primo :  
 Sic decimas currens conscenditur ad duodenum.

MARCELLI V. L.  
 EX MAGISTRO OFFICIORUM  
 THEODOSII SENIORIS,  
 IMPERATORIS,  
 D E  
 M E D I C I N A.  
 C A R M E N.

**Q**uod natum Phoebus docuit, quod Chiron Achillem,  
 Quod didicere olim Podalirius atque Machaon  
 A genitore suo, qui quondam versus in anguem,  
 Tempa Palatinae subiit sublimia Romae:  
 Quod Coeus docuit senior, quodque Abdera suasit,  
 Quod logos, aut methodos, simplexque empirica pangit,  
 Hoc liber iste tenet, diverso è dogmate sumtum.  
 Namque salutiferas disponit pagina curas.  
 Istic reperies per nomina, perque medelas,  
 Descriptas species, et pondera mensurarum  
 Congrua, quae sapiens sumes moderamine certo.  
 Ne fallare vide, neu quae sunt parte saluti,  
 Vertat in exitium non follers cura medentis.  
 Sume igitur medicos pro tempore, proque labore,

Aetatisque habitu, summa ratione paratos;  
 Gramine seu malis aegro praestare medelam,  
 Carmine seu potius: namque est res certa saluti  
 Carmen, ab occultis tribuens miracula verbis.  
 Quae curis hominum physicorum inventa pararint,  
 Quaeque suis natura bonis terraque marique 20  
 Edidit, illa suis altrix simul, atque creatrix  
 Foetibus omnigenis, quos parturit. ergo salubres  
 Suggestit impensas ponto et tellure creatas,  
 Angue, fera, pecude, et fruge, alite, murice, pisce,  
 Lacte, mero, pomis, lymphis, sale, melle, et olivo,  
 Sucis, unguinibus, taedis, pice, sulphure, cera,  
 Polline, farre, fabis, lino, scobe, vellere, cornu,  
 Baccis, et balanis, lignis, carbone, favilla;  
 Floribus, et variis herbis, holere atque metallis,  
 Sandice, et creta, psimmyto, pumice, gypso, 30  
 Cadmia, chalciti, chalcanto, chalco, et adusto,  
 Cassitero molli, lepide Cypria, atque atramento.  
 Prome etiam, seu tunde prius, seu contere gyro  
 Quod viride hortus habet, vel quod carnaria siccum,  
 Allia, serpyllumque herbas, thymbramque salubrem,  
 Brassicaque et raphanos, ac longis intyba fibris,  
 Et mentam, et sinapi, coriandrum, prototomumque,  
 Erucam, atque apium, malvam, betamque salubrem,  
 Rutamque et nasturcum, et amara absinthia misce,  
 Puleiumque potens, nec non et lene cyminum. 40  
 Palmula nec desint Idumes, nec pruna Damasci:  
 Quae cum multiplici contriveris orbe terendo  
 In patinis excocta dabis, aut grandibus ollis  
 Verum adoperta coques, ne fumida jura saporem  
 Corruptum reddant, quae mox fastidiat aeger.  
 Adde et aromaticas species, quas mittit Eous,  
 Vel quae Judaicis fragrant bene condita capsis,  
 Tus, costum, folium, myrrham, styracem, crocomagma,  
 Aspalathum, gallam, elleborum, nigrumque bitumen,

Et nardum, et casias, et amoma, et cinnama rara, 50  
 Balsama, peucedanum, spicam, crocum atque bedellam,  
 Irim, castoreum, scillamque, opium, panaceam,  
 Resinam, lepidum, euforbium, git, atque pyretrum.  
 Zingiber et calidum, mordax piper, et laser algens,  
 Agaricumque, asarumque potens, aloën, aconitum,  
 Galbana, sandaracam, samsicum, pforicum, alumen,  
 Acaciam, propolimque, et adarchen, cnicon, acanthum,  
 Andrachnen, acoronque, opopanaca, pompholygemque,  
 Cyperum, ladanum, sagapenonque, et tragacanthum, 60  
 Scammoniam, cypen, malabathron, ammoniacon.  
 Denique reperies istic quod lucis in ortu,  
 Indus, Arabs, Seres, Persis, divesque Sabaeus,  
 Vicino sub sole legunt, quod praebet Orontes,  
 Eximium ignoto mittit quod Nilus ab ortu,  
 Decerptum foliis, ramo, cute, cortice, virga,  
 Quodque ab Idumacis vectum seplasia vendunt,  
 Et quidquid confert medicis Lagaea catapulus.  
 Haec quicumque leges, poteris discernere tecum,  
 Agnoscenda magis, sive exercenda rearis;  
 Quisque tamen nostrum hoc studium dignabere, quaeso 70  
 Praestes iudicium purum, mentemque benignam.  
 Sic tua perpetuo vegetentur membra vigore,  
 Et peragas placidam per multa decennia vitam.  
 Sic non incuses validam placitamque senectam.  
 Nec tibi sit medicis opus umquam, nec tibi casus  
 Aut morbus pariant ullum quandoque dolorem:  
 Sed procul à curis et sano corpore vivas,  
 Quotque hic sunt versus, tot agant tua tempora Janos.

Q. RHEMNI FANNII  
PALAEMONIS

DE

PONDERIBUS

ET

MENSURIS LIBER.

**P**ondera Paecniis veterum memorata libellis  
 Nosse juvat: pondus rebus natura locavit  
 Corporeis: elementa suum regit omnia pondus.  
 Pondere terra manet: vacuus quoque ponderis aether  
 Indefessa rapit volventis sidera mundi.  
 Ordinar à minimis, post haec majora sequentur.  
 Nam majus nihil est aliud, quam multa minuta.  
 Semoboli duplum est obolus, quem pondere duplo  
 Gramma vocant, scriptum nostri dixere priores.  
 Semina sex alii siliquis latitantia curvis, 10  
 Adtribuunt scripto, lentes veraciter octo,  
 Aut totidem speltas numerant, tristesse lupinos  
 Bis duo: sed si par generatim his pondus inesset,  
 Servarent eadem diversae pondera gentes:  
 Nunc variant. etenim cuncta haec non foedere certo  
 Naturae, sed lege valent hominumque repertis.  
 In scriptis ternis drachmam, quo pondere doctis

Argenti facilis signatur nummus Athenis.

Holceque à drachma non re, sed nomine differt.

Drachmam si gemines, aderit, quem dicier audis, 20

Siciliquus : drachmae scripli si adjectio fiet,

Sextula quae fertur : nam sex his uncia constat.

Sextula quum dupla est, veteres dixere duellam.

Uncia fit drachmis bis quattuor : unde putandum

Grammata dicta, quod haec viginti quattuor in se

Uncia habet : tot enim formis vox Graeca notatur,

Horis quot mundus peragit noctemque diemque.

Unciaque in libra pars est quae mensis in anno.

Haec major Latio libra est, gentique togatae :

Attica nam minor est : ter quinque hanc denique drachmis

Et ter vicenis tradunt explier unam. 31

Accipe praeterea, parvo quam nomine Graii

Mnam vocitant, nostrique minam dixere priores :

Centum hae sunt drachmae, quod si decerpseris illis

Quattuor : efficies hanc nostram denique libram :

Attica quae fiet, si quartam dempseris hinc, Mna,

Cecropium superest post haec docuisse talentum,

Sexaginta minas seu vis, sex millia drachmas,

Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis :

Nam nihil his obolove minus, majusve talento. 40

Nunc dicam, solidae quae sit divisio librae,

Sive assis : nam sic legum dixere periti :

Ex quo, quod soli capimus, perhibemur habere,

Dicimur aut partis domini pro partibus hujus :

Uncia nam librae si deest, dixere decuncem :

At si sextantem retrahas, erit ille decuncis :

Sed nullum reliquo nomen semuncia certum

Dempta dabit : neque enim est hujus sescuncia triplex.

Dodrantem reliquum vocitant quadrante retracto :

Quumque triens desit, bessem dixere priores. 50

Idem septuncem dempto quineunce vocarunt.

Post haec semissis solidi pars maxima fertur.



Nam quae dimidium superat, pars esse negatur,  
 Ut docuit tenui scribens in pulvere Musa.  
 Caetera dicta prius quibus est semuncia major.

DE PONDERIBUS ET MENSURIS HUMIDORUM ET  
 FRUGUM.

**E**T de ponderibus superest pars altera nobis,  
 Humida metiri seu frugum semina mavis,  
 Cujus principio nobis pandetur origo.  
 Pes longo spatio latoque notetur in anglo.  
 Angulus ut par sit, quem claudit linea triplex: 60  
 Quatuor ex quadris mediuni cingatur inane.  
 Amphora fit cubus, quem ne violare liceret,  
 Sacravère Jovi Tarpejo in monte Quirites.  
 Hujus dimidium fert urna. ut et ipsa medimni  
 Amphora, terque capit modium: sextarius istum  
 Sex decies haurit, quot solvitur in digitos pes.  
 At cotylas, quas, si placeat, dixisse licebit  
 Heminas, recipit geminas sextarius unus,  
 Qui quater adsumptus fit Grajo nomine choenix.  
 Adde duos, chus fit, vulgo qui est congius idem, 70  
 A quo sextari nomen fecisse priores  
 Crediderim, quod eos capiat sex congius unus.  
 At cotyle cyathos bis ternos una receptat.  
 Sed de abaco nobis id pondus saepe notatur.  
 Bis quinque hunc faciunt drachmae, si adpendere tentes:  
 Oxybaphus fiet, si quinque addantur ad illas.  
 At mystrum cyathi quarta est, ac tertia mystri,  
 Quam vocitant chemen, capit haec cochlearia bina.  
 Quod si mensurae pondus componere fas est,  
 Sextari cyathus pars est, quae est uncia librae: 80  
 Nec non oxybaphi similis sescuncia fiet.  
 Siciliquumque tibi mystro simulare licebit.  
 Cochlear extremum est, scriplique imitabitur instar.

Attica praeterea dicenda est amphora nobis,  
 Seu cadus: hanc facies, nostrae si adjeceris urnam.  
 Est et bis decies quem conficit amphora nostris  
 Cullens: hac nulla est major mensura liquoris.  
 Est etiam terris quas advena Nilus inundat,  
 Artaba, cui superat modii pars tertia post tres:  
 Namque decem modiiis explebitur artaba triplex. 90

DE PONDERIBUS VARIORUM LIQUORUM, ET  
 AQUARUM.

**I**llud praeterea tecum cohibere memento,  
 Finitum pondus varios servare liquores.  
 Nam librae (ut memorant) bessem sextarius addet,  
 Seu puros pendas latices, seu dona Lyaci.  
 Addunt semissem librae labentis olivi,  
 Selibramque ferunt mellis superesse bilibri.  
 Haec tamen ad sensu facili sunt credita nobis:  
 Namque nec errantes undis labentibus amnes,  
 Nec merfi puteis latices, aut fonte perenni  
 Manantes, par pondus habent: non denique vina, 100  
 Quae campi aut colles nuperve aut ante tulere:  
 Quod tibi mechanica promptum est depromere musa.  
 Ducitur argenti, tenuive ex aere cylindrus,  
 Quantum inter nodos fragilis producit arundo,  
 Cui cono interius modico pars ima gravatur,  
 Ne totus sedeat, totusve supernatet undis.  
 Lineaque à summa tenuis descendit ad ima,  
 Ducta superficie: tot quaeque in frustra secatur,  
 Quot scriplis gravis est argenti aerisve cylindrus:  
 Hoc cujusque potest pondus spectare liquoris. 110  
 Nam si tenuis erit, majori immergitur, unda:  
 Sin gravior, plures modulos superesse notabis.  
 Aut si tantumdem laticis sumatur utrimque,  
 Pondere praestabit gravior: si pondera secum

Conveniunt, tunc major erit, quae tenuior unda est.  
 Quod si ter septem numeros texisse cylindri  
 Hos videas latices, illos cepisse ter octo,  
 His drachma gravius fatearis pondus inesse.  
 Sed refert aequi tantum conferre liquoris  
 (Ut gravior superet drachma) quantum expulit undae 120  
 Illius aut hujus teretis pars mersa cylindri.  
 Haec de mensuris, quarum si signa requires,  
 Ex ipsis veterum poteris cognoscere chartis.

DE INVENTIONE ARGENTI AURO IN UNA  
 MASSA PERMIXTI.

**N**unc aliud partum ingenio trademus eodem.  
 Argentum fulvo si quis permisceat auro,  
 Quantum id sit, quove id possis deprendere pacto,  
 Prima Syracosii mens prodidit alta magistri.  
 Regem namque ferunt Siculum, quam voverat olim  
 Coelicolum regi, ex auro statuiffe coronam:  
 Compertoque dehinc furto (nam parte retenta,  
 Tantumdemque argenti opifex immiscuit auro)  
 Orasse ingenium civis, qui mente sagaci  
 Quis modus argenti fulvo latitaret in auro  
 Reperit, inlaeso, quod diis erat ante dicatum:  
 Quod te quale fiet paucis (adverte) docebo.  
 Lancibus aequatis, quibus haec adpendere mos est,  
 Argenti atque auri, quod edax purgaverit ignis,  
 Impones libras, neutrum ut praeponderet: hasque  
 Submittes in aquam, quas pura ut ceperit unda,  
 Protinus inclinat pars haec, quae sustinet aurum. 140  
 Densus hoc namque est, simulari et crassius unda.  
 At tu siste jugum, mediique è cardine centri  
 Intervalla nota, quantum discerpserit illinc.  
 Quotque notis distet suspensò pondere filum:  
 Fac drachmis distare tribus. cognovimus ergo

Argenti atque auri discrimina. denique libram  
 Libra tribus drachmis superat, quum mergitur unda.

Sume dehinc aurum, cui pars argentea mixta est,  
 Argenti que meri par pondus, itemque sub unda

Lancibus impositum specta: propensior auri 150

Materies subsistet enim, furtumque docebit.

Nam si ter senis superabitur altera drachmis,  
 Sex solas libras auri dicemus inesse,

Argenti reliquum: quia nil in pondere differt

Argentum argento, liquidis quum mergitur undis.

Haec eadem puro deprehendere possumus auro,

Si par corrupto pondus pars altera gestet.

Nam quoties ternis pars inlibata gravarit

Corruptam drachmis sub aquam, totidem esse notabis

Argenti libras, quas fraus permiscuit auro. 160

Pars etiam librae quaevis si forte superfit,

Haec quoque drachmarum simili tibi parte notetur.

Nec non et sine aquis \* \*

R E L I Q U A D E S I D E R A N T U R .

S U L P I C I A E  
S A T Y R A,

D E

CORRUPTO STATU REIPUB. TEMPORIBUS  
DOMITIANI, PRAESERTIM CUM EDICTO  
PHILOSOPHOS URBE EXEGISSET.

**M**usa, quibus numeris heroas et arma frequentas,  
Fabellam permitte mihi detexere paucis.  
Nam tibi secessi, tecum penetrabile retractans  
Consilium. quare nec carmine curro Phalaeco,  
Nec trimetro jambo, nec qui pede fractus eodem  
Fortiter irasci didicit, duce Clazomenio.

Cetera quin etiam, quot denique millia lusi,  
Primaque Romanas docui contendere Graiis,  
Et salibus variare novis, constanter omitto:  
Teque, quibus, princeps et facundissima, calles,  
Adgredior. precibus descende clientis, et audi.

10

Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille deorum  
Cogitat? an terras, et patria saecula mutat?  
Quasque dedit quondam, morientibus eripit artes?  
Nosque jubet tacitos, et jam rationis egenos,  
Non aliter, primo quam quum surreximus aevo,  
Glandibus et purae rursus procumbere lymphae?  
An reliquas terras conservat amicus, et urbes;  
Sed genus Ausonium, Remulique exturbat alumnos?  
Quid reputemus enim? duo sunt, quibus extulit ingens 20

Roma caput, virtus belli, et sapientia pacis.  
 Sed virtus agitata domi, et socialibus armis,  
 (Cetera quae imperata, et totum simul abstulit orbem.)  
 In fœta Sicaniae, et Carthaginis exiit arces,  
 Deinde, velut stadio victor qui solus Achæo  
 Languet, et inmota secum virtute fatiscit:  
 Sic iridem Romana contendere postquam  
 Destitit, et pacem longis frenavit habenis,  
 Ipsa domi leges, et Graja inventa retractans,  
 Omnia bellorum terra quaesita, marique  
 Praemia consilio, et molli ratione regebat. 30  
 Stabat in his, neque enim poterat constare sine ipsis:  
 Aut frustra uxori, mendaxque Dicspiter olim,  
 Imperium sine fine dedi, dixisse probatur.  
 Nunc igitur qui res Romanas imperat inrer,  
 Non trabe, sed tergo prolapsus, et ingluvie albus,  
 Et studia, et sapiens hominum nomenque genusque,  
 Omnia abire foras, atque Urbe excedere iussit.  
 Quid facimus? Grajos, hominumque relinquimus urbes,  
 Ut Romana foret magis his instructa magistris. 40  
 Nunc Capitolino veluti turbante Camillo,  
 Ensisibus, et trutina Galli fugere relicta:  
 Sic nostri palare senes dicuntur, et ipsi  
 Ut ferale suos onus extirpare libellos.  
 Ergo Numantinus, Libycusque erravit in isto  
 Scipio, qui Rhodio crevit formante magistro,  
 Cetera et illa manus bello secunda secundo,  
 Quos inter Prisci sententia dia Catonis  
 Scire adeo magni fecisset, utrumne secundis,  
 An magis adversis staret Romana propago? 50  
 Scilicet adversis. nam quum defendier armis  
 Suadet amor patriae, et captiva penatibus uxor:  
 Convenit, ut vespis, quarum domus arce Monetae,  
 Turba rigens strictis per lutea corpora telis.  
 Ast ubi apes secura redit, oblita favorum

Plebs, materque una somno moriuntur obeso.  
 Romulidarum igitur longa et gravis, exitium, pax.  
 Hoc fabella modo pausam facit. optima posthac  
 Musa velim moneas, sine qua mihi nulla voluptas  
 Vivere, uti quondam Lydus dum Smyrna peribat, 60  
 Nunc itidem migrare velint. vel denique quidvis,  
 Ut dea, quaere aliud. tantum Romana Caleno  
 Moenia, jucundos pariterque averte Sabinos.  
 Haec ego. tum paucis Dea me dignarier inquit :  
 Pone metus aequos, cultrix mea. summa tyranno  
 Haec instant odia, et nostro periturus honore est.  
 Nam laureta Numae, fontesque habitamus eosdem,  
 Et comite Egeria ridemus inania coepta.  
 Vive, vale, manet hunc pulchrum sua fama dolorem.  
 Musarum spondet chorus, et Romanus Apollo. 70

## F R A G M E N T U M S U L P I C I A E.

Flavia Gens quantum Tibi tertius abstulit Haeres :  
 Poene fuit tanti non habuisse duos.

F I N I S.





GRATIUS FALISCUS,	Pag. 1
M. AURELIUS OLYMPIUS NEMESIANUS,	29
T. CALPURNIUS SICULUS,	43
CLAUDIUS RUTILIUS,	71
Q. SERENUS SAMONICUS,	93
MARCELLUS,	140
Q. RHEMNIUS FANNIUS,	143
SULPICIA,	149











PA  
6121.  
A4  
1752

Burman, Pieter  
Poetae Latini minores

PLEASE DO NOT REMOVE  
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

---

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

---

UTL AT DOWNSVIEW



D RANGE BAY SHLF POS ITEM C  
39 14 19 05 15 001 ↓